MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80774-13

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:
LIPPELT, ERICH

TITLE:
QVAESTIONES BIOGRAPHICAE

PLACE:
BONNAE

DATE:
1889

Master Negative #

92-80774-13

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Lippelt, Erich, 1865-
Qvaestiones biographicae. Dissertatio...qvam... defendet scriptor Ericvs Lippelt... Bonnae, typis C. Georgi, 1889.
43 p. 24½ cm.


Thesis, Bonn.


Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-3-93 INITIALS MGy
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT










Centimeter



Inches







QVAESTIONES BIOGRAPHICAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE VIII MENSIS IANVARII ANNI MDCCCLXXXIX HORA XII PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

ERICVS LIPPELT

BRVNSVICENSIS

ADVERSARII ERVNT

OTTO CVNTZ
ALVINVS LONKE
ERICVS PREVNER

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIV. TYPOGR.

MDCCCLXXXIX

PATRIS MANIBVS

Graecorum viri magni quanto opere sive de re publica sive de litteris meriti sint, memoriae traditum est non ab eis, qui Aeschylo Sophocli Themistocli Pericli aequales fuerunt, sed a posteris eorum, qui libertate publica amissa cum philosophiae tum artibus grammaticae et rhetoricae se dediderunt. Sed cum grammatici egregia diligentia maiorum scripta colligerent atque emendarent, vitarum scriptores aut fabellas captabant belleque dicta coacervabant aut ieiuna verborum concertatione maiorum res gestas moresque celebrabant.

Alteri horum scriptorum parti bene consuluit fortuna multique viri docti operam navaverunt; altera iusto magis neglegitur. Magni autem puto momenti esse ad Graecorum mores et naturam recte aestimandam illud quoque scrutando cognoscere, quo modo gens illa clarissima virorum de re publica bene meritorum memoriam libris coluerit. Hanc quaestionem a poëtarum philosophorum aliorumque vitis separari posse argumentatione ipsa elucebit. Praemonendum vero est me non tam audacem esse, ut de omnibus illis scriptoribus iudicium ferre in animo habeam; sed in aliquot eius modi libris nonnulla quae propria eius generis videntur esse indicare atque rectius quam vulgo ferunt de duobus libris iudicium argumentis firmare satis habeo.

Causa cur quinti saeculi homines de viris magnis nihil tradiderint, in aprico est[1]. Libera enim rei publicae forma ita ferebat, ut viri vel rem publicam administrantes vel belli duces simul atque praeter ceteros

---

[1] cf. ea quae de laudationibus funebribus dixit Martha (étud. s. l'antiq. Paris 1883) p. 4 'la démocratique Athènes, la république jalouse qui avait inventé l'ostracisme, se garde bien de glorifier ses grands citoyens de peur d'exalter l'orgueil des familles et de susciter un nouveau Pisistrate; l'aristocratique Rome, au contraire, se fait un devoir d'offrir à l'admiration du peuple les hommes distingués' e. q. s.

gloria florere coeperunt, in invidiam populi incurrerent. Taceo de Miltiade Themistocle Cimone, quos exsules non celebratos esse nemo sane mirabitur. Memorabile vero est quam caute eorum quoque gloria laudata sit, qui heroum fere honoribus fruebantur.

Vel Pindarus non tam eum laudare solet, qui modo praemium victoriae reportaverat, sed heroes civitatis atque maiores, qui similia olim praestitisse dicebantur. Hoc modo deorum et civium invidia evitabatur, cum satis esset laudis victori maiorum gloria non indignum se praebuisse. Neque casu factum est, quod quattuor illa fragmenta ex Pindari encomiis nobis servata non cives libera civitate natos sed tyrannos laudibus efferunt[1]. Simili modo epitaphiorum partes maiores non erant de civibus modo mortuis, sed de maiorum virtute civitatisque legibus et institutis, quibus viri tanta fortitudine atque legum oboedientia exstitissent.

E re est scriptorum de viris inlustribus silentium cum arte plastica eiusdem saeculi conferre[2]. Graeci antiquissimi statuas non nisi deis posuerunt. Altera parte saeculi sexti athletarum simulacra fingi coepta sunt. Sed illa quoque non tam ex victoris ipsius similitudine erant expressa quam statu certisque rebus adtributis propriam artificis artem indicabant. Aënea statua, quae antiquitus heroibus veluti Harmodio et Aristogitoni ponebatur, Cono primus honoratus est (Demosth. Leptin. § 70). Quanto vero temporis spatio artifices ipsi usi sint priusquam veras hominum imagines pulcris solerent anteferre, Plinii locus docet de Lysistrato, Lysippi fratre (XXXV 153): ‘hominis autem imaginem gypso e facie ipsa primus omnium expressit ceraque in eam formam gypsi infusa emendare instituit Lysistratus .... hic et similitudines reddere instituit; ante eum quam pulcherrimas facere solebant’. Eo autem tempore, quo in museis et bibliothecis poëtarum philosophorumque imagines colligebant, multos fuisse artifices qui imagines ad veritatem exprimerent, per se est probabile. Quinto igitur saeculo honor statuarum hymnorum encomiorum nonnisi deis et dis manibus tribuebatur eisque qui pari atque illi fruebantur honore. Phidias autem cum Periclis et suam ipsius imaginem in Minervae clipeo exsculpsisset nec non Pausanias cum post pugnam Plataeensem Apollini tripoda suo nomine dedicavisset, meritam civium indignationem moverunt.

Sed belli Peloponnesiaci fere temporibus singulari quadam ratione

---

1 Bergk^{4} fr. 118 sqq.

2 cf. Wilamow. Antig. Caryst. 146 sqq. Mueller archaeol.^{3} p. 66 sq. Brunn hist. artif. Gr. I 69 sq.

virorum res gestae ac mores publice tractari coepta sunt. Ut comici rei publicae principes atque administrationem sale et facetiis perstringebant ita factionum principes adversarios conviciis proscindebant, partium socios laudibus efferebant. Huius modi libri quo modo compositi fuerint ex Stesimbroti Thasii fragmentis etiamnunc licet perspicere[1]. Illud sane et talium scriptorum et comicorum proprium erat, quod utrique virorum inlustrium imagines magis vitiabant quam ad veritatem exprimebant.

Sed eodem tempore is exstitit vir qui morum sinceritate humanitate divino ingenii adflatu plurimorum venerationem, corporis forma et habitu omnium admirationem excitaret. Eiusdem persona aeque ac doctrina factum est, ut de singulorum virtutibus aequius iudicare inciperent. Socrates enim, postquam a sophistis legum morum repagula refracta sunt, nova eruditionis posuit fundamenta, cum virtutem ex scientia pendere diceret. Iam vero cum homines se ipsos cognoscere iussisset, ea quoque facultate discipulos instruxit, ut aliorum personas rectius possent aestimare. Quamvis igitur doctrinae eius consentaneum esset, ut non nisi sapientes rei publicae administrandae peritos esse diceret, tamen de virorum magnorum virtutibus veluti Themistoclis (Memorab. II 6, 13 IV 2, 2) et Periclis (ib. I 2, 40) aequius atque ceteri Athenienses videtur iudicavisse[2]. Accedit quod Socratis ipsius persona commovebantur, ut aut habitum eius salibus perstringerent aut mores eius et rerum externarum contemptum laudarent. Sic factum est, ut de eius vita et moribus multae fabellae ac narratiunculae traderentur accurataque eius imago posteris servaretur.

Ad artem vero vitarum scribendarum summi erat momenti, quod nonnulli Socratis discipuli divini magistri exemplum secuti tota mente incubuerunt in aequalium mores ac studia corrigenda. Hoc propositum tum facillume sese adsecuturos esse plerique videbant, cum puerorum et adolescentium educationi nova posuissent fundamenta. Quoniam vero Socratis de hac re sententiae non erant certa forma ac ratione adstrictae et coniunctae, ut in aliis ita in puerorum institutione illas pro sua quisque studio ac dignitate conformaverunt. Quorum duae distinguendae sunt partes: altera eorum, qui hominem se ipsum corrigere iuberent neque rei

---

1 conferantur etiam Antiphontis Ἀλκιβιάδου λοιδορίαι et Ionis Chii ἐπιδημίαι.

2 id quod Aeschinis Socratici reliquiis comprobatur. scimus enim eum in dialogis Miltiadem Themistoclem Aspasiam laudavisse. cf. Hermann. ‘de Aesch. Socr. rell.’ Gttg. 1850.

publicae qualis tunc erat rationem haberent, altera qui adolescentibus ad virtutem revocatis rem publicam firmare bonosque cives educare studerent. Huc non faciunt illi, philosophi magis quam cives Graeci, quorum nihil intererat virorum de re publica merita posteris tradere. Encomia enim illa, quae Plato suae rei publicae civibus tribui vult vel diebus festis canenda (d. rep. 468 D. legg. 801 E. 802. 829 C.) vel sepulcris inscribenda (ib. 958 E), non erant apta ad virorum mores et res gestas omnium animis infigendas sed ad mortuorum memoriam a posteris pie colendam. Maioris momenti sunt studia eorum virorum, qui Socratis doctrina imbuti civium animos flectere conati sunt. Ex quorum numero in primis duo viri nominandi sunt, Isocrates et Xenopho.

De Isocrate.

Isocrates quamquam non tantum commodum ex philosophia sese cepisse aperte dicit quantum vulgo contenderent (de Soph. 11), tamen Socratis sententias ut non intellectas detorquet ita variis orationum locis accurate exprimit[1]. Virtute et iustitia cives imbuere studet (π. ἀντιδ. 67) et quattuor illas virtutes Socraticas saepius laudibus effert (Euag. 22. 23 cf. Demon. 15. 40. Nicocl. 29). Prae rerum gestarum narratione mores atque animi virtutes non neglegendas esse singularibus verbis exponit (Phil. 109). Sed homo ille gloriae cupidus honeste vivendum esse eam ob causam censebat, quod viri boni et de re publica bene meriti inmortali gloria adficerentur, atque tantum aberat, ut Socratis rerum externarum despectionem admiraretur et aemularetur, ut vel voluptatis vel lucri vel gloriae causa omnes omnia facere contenderet[2].

Tamen unum in eo laudandum. Taceo de dictionis elegantia et subtilitate, magis ad nos pertinent orationum argumenta. Multi enim rhetores illius aetatis, qui de omnibus rebus sese disserere posse gloriabantur, satis habebant Gorgianas captare orationis formas atque artis ostentandae causa de quolibet argumento declamationes scribere.

---

[1] uberius de hac re disseruit Schroeder quaest. Isocr. Trai. ad Rhen. 1859 p. 1 sqq.

[2] Paneg. 76. Phil. 134. Panathen. 11. 38. 260. π. ἀντιδ. 217. Euag. 3.

Quantas ineptias illi tractaverint multis veterum testimoniis traditum est. Βομβυλίων ἅλων ὄνων cπογγιῶν χύτραc ψήφων μύρτων μελίτων encomia olim ferebantur[1].

His merito adversatus est Isocrates. Ut ipse in orationibus concordiam ac commune contra Persas bellum Graecis suadebat ita aliorum rhetorum studiis novum argumentum idque satis laudabile proposuit. In Euagorae enim praefatione (5 sq.) nefas esse dicit, quod viri et heroes temporum Troianorum vel antiquiorum hymnis et fabulis celebrentur, cum virorum inlustrium modo mortuorum memoria silentio prematur; quibus praemissis ipse primus oratione soluta principis cuiusdam res gestas et mores laudat. Eius modi encomiis sperabat fore, ut et rhetorum studia in usum publicum[2] transferrentur et iuvenes virorum magnorum gloriam aemulati virtutis studio totos se dederent.

Priusquam vero exploremus quomodo Xenopho aliique Isocratis exemplum secuti sint, accuratius quaerendum est quo modo Euagoras libellus compositus sit. Quod ut bene nobis eveniat, pauca praemittenda sunt de rhetorum praeceptis. Anaximenes in arte rhetorica (ed. Speng.[2] 19. 4) demonstrativum genus dicendi his verbis notat: cυλλήβδην μὲν οὖν ἐcτιν ἐγκωμιαcτικὸν εἶδοc προαιρέcεων καὶ πράξεων καὶ λόγων ἐνδόξων αὔξηcιc καὶ μὴ προcόντων cυνοικείωcιc[3]. Quo modo αὔξηcιc illa facienda sit, etiam apud alios legimus scriptores veluti apud Isocratem in Panathenaico (123): δεῖ δὲ τοὺc ἐπιχειροῦνταc καθ' ὑπερβολήν τιναc ἐπαινεῖν μὴ τοῦτο μόνον ἐπιδεικνύναι, μὴ πονηροὺc ὄνταc αὐτούc, ἀλλ' ὡc ἁπάcαιc ταῖc ἀρεταῖc καὶ τῶν τότε καὶ τῶν νῦν διήνεγκαν vel in Busiride (4): ἁπάντων δὲ εἰδότων ὅτι δεῖ τοὺc μὲν εὐλογεῖν τιναc βουλομένουc πλείω τῶν ὑπαρχόντων ἀγαθῶν αὐτοῖc προcόντ' ἀποφαίνειν κ. τ. λ., salseque Menexeni scriptor de laudatoribus dicit (234 C): οἳ οὕτω καλῶc ἐπαινοῦcιν, ὥcτε καὶ τὰ προcόντα καὶ τὰ μὴ περὶ ἑκάcτου λέγοντεc κ. τ. λ. Etiam res ipsas alio loco aliter narrare rhetores non pudet. Isocrates in Panegyrico (58) Athenienses ab Adrasto rogatos ut mortuorum sepulturam a Thebanis

---

[1] Isocr. Hel. 12. Plato Phaedr. 260 B. Aeschin. π. παραπρ. 112. Phoenicid. (Mein. fr. com. IV 509). Aetatis imperatoriae sunt Luciani μυίαc, Dionis Chrys. κόμηc, Synesii φαλάκραc encomia, alia. De cυγκρίcεων compositione v. Theonis προγ. in Spengelii rhett. gr. II 114. 3; cf. etiam Bernaysius in comment. acad. Berol. 1882 p. 47 n. 2 68 (ad 235. 11).

[2] cf. Nicocl. 10. Helen. 5 sq.

[3] cf. Aristot. rhet. (Speng. rhett. gr.) I 37. 15. Theon. prog. ib. II 109. 20.

deposcerent bellum in eos suscepisse gloriatur, in Panathenaico (168 sqq.), cum Thebani a Philippi partibus starent, per legatos eos idem effecisse contendit [1]. Vides quantum laudatio absit ab historiae fide. Praecepta igitur illa memoria tenenda sunt, ut de libris istis iustum faciamus iudicium.

Iam in Euagorae laudationem sic inquiramus, ut singulas eius partes rhetorum testimoniis conlatis notemus et graviora nonnulla singularibus verbis explicemus.

Praefatione praemissa laudatio ipsa incipit solito rhetorum modo [2] a difficultatibus quae causae perficiendae obstent (8—11). Tum primo loco tractatur εὐγένεια [3], cui adnectuntur prodigia [4]. Puer adquirit corporis virtutes et cωφροcύνην, vir ἀνδρείαν cοφίαν δικαιοcύνην (23) [5]. Deinde rerum gestarum ordinem laudatio sequitur. Notatu vero dignum est etiam cύγκριcιν inveniri (33 sqq.); haec enim amplificationis ratio a rhetoribus praecepta [6] etiam a Xenophonte in Agesilao (cap. 9) adhibetur. Unum praeterea velim corrigere, quod Blassius et Volkmannus falso mihi videntur contendisse. Inde a paragrapho 65 Euagorae res gestae et virtutes summatim referuntur. Hoc quoque ex rhetorum usu

---

[1] haec causa postea in rhetorum scholis declamabatur cf. Nicephor. prog. I 494 W.

[2] hoc praeceperunt e. gr. Cornificius III 6. Menander π. ἐπιδεικτ. III 368 Sp. exempla sunt Isocr. Paneg. 74. Panathen. 36. 137. Plat. 4. Xenoph. Ages. I 1. Demosth. Leptin. 76, epitaphiorum initia; ludit hunc morem Lucian. Nigr. 10.

[3] εὐγένεια et παιδεία sunt πίcτειc sec. Aristot. l. c. I 37. 16. cf. Euseb. praep. ev. II 354 Gaisf. οὐκοῦν, εἶπεν ὁ Ἀριcτοτέληc, κατὰ τὸ τῶν ῥητορικῶν παράγγελμα, γένοc αὐτοῦ πρῶτον διέλθωμεν, ἵνα μὴ ἀπειθῶμεν τοῖc τῶν ἀπαγγελιῶν διδαcκάλοιc. — Choricius εἰc Μαρκιαν. p. 80 Boiss.

[4] Menander l. c. 373. 3 εὐγενείᾳ adscribit πατρίδα·γένοc ξύμβολον. prodigia narrat Marinus in vita Proeli 6. 7. 37.

[5] quattuor illae virtutes principales quamquam iam a sophistis et a Socrate laudantur, tamen certis finibus demum circumscriptae sunt a Socratis discipulis, in primis a Platone cf. Conviv. 196 C. Alcib. 121 E. legg. 631 C. (Laert. Diog. VII 90 sqq. Cicero Tuscul. II 13, 36 de off. I 5, 2. Wyttenb. ad Plut. d. aud. poët. 275). — Isocrates laudem secundum has virtutes distribuit Hel. 31. Panath. 30 sqq. Etiam strictius virtutum ordinem sequitur Marinus l. c.

[6] Anaxim. ed. Sp.[2] 20. 15. Theo l. c. II 113. 7. Menand. ib. III 420 sq. Aphthon. ib. II 36. 17. — cυγκρίcειc postea seorsim tractabantur; exempla sunt Isocr. Paneg. 73 sqq. Busir. 19. Panath. 39 sqq. rhetorum progymnasmata vide W. I 98. 355. 358. 361. 373. 375. 376. 378.

factum esse Anaximenis [1] et Cornificii [2] verba docent. Itaque duo illi viri docti ex Isocratis verbis (Panathen. 266): τὸ γὰρ ἀναμιμνήcκειν καθ' ἕκαcτον τῶν εἰρημένων οὐ πρέπει τοῖc λόγοιc τοῖc τοιούτοιc non debebant colligere enumerationes et repetitiones a laudationibus alienas esse. Isocrates enim illo loco scite omisit enumerationem, ne in fine istius orationis satis languidae et verbosae legentes nimis defatigaret. Accedit quod et ipse in oratione de pace (132) non dubitavit cυναγαγὼν τὰ μάλιcτα κατεπείγοντα πάλιν ἐπανελθεῖν et is qui Agesilai caput ultimum scripsit (v. infra) eo ipso rhetorum praecepto commotus laudationem epilogo videtur amplificavisse.

Uno verbo tangam similitudinem inter epitaphios et laudationes intercedentem. Non solum forma eorum eadem est [3], sed exstant etiam sententiae nonnullae ac verba illius dicendi generis propria. Isocrates in Panegyrico maiorum virtutes laudaturus ipse profitetur (§ 74): καί τοι μ' οὐ λέληθεν ὅτι χαλεπόν ἐcτιν ὕcτατον ἐπελθόντα λέγειν περὶ πραγμάτων πάλαι προκατειλημμένων, καὶ περὶ ὧν οἱ μάλιcτα δυνηθέντεc τῶν πολιτῶν εἰπεῖν ἐπὶ τοῖc δημοcίᾳ θαπτομένοιc πολλάκιc εἰρήκαcιν [4]· nec vero in aliis orationibus eadem narrare dubitavit. Quam arcte autem variae illae demonstrativi generis species inter se coniunctae sint, duas sententias adferre satis habeo οἳ μὲν περὶ μίαν πόλιν ἔτη δέκα διέτριψαν, οἳ δὲ τὴν ἐξ ἁπάcηc τῆc Ἀcίαc δύναμιν ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατεπολέμηcαν [5], atque εἴ τίc ἐcτιν αἴcθηcιc τοῖc τετελευτηκόcι περὶ τῶν ἐνθάδε γιγνομένων [6], quae iisdem fere verbis expressae cum in Isocratis orationibus tum in epitaphiis et laudationibus inveniuntur.

Iam ut ad Euagoram revertamur, argumentum ipsum ita tractatur, ut mira quadam elegantia omnes fere res praeclare gestae ad mores Euagorae referantur (23. 25. 29. 38. 41. 43 sqq. 51), cum in universum

---

[1] l. c. p. 82.

[2] III 8 conclusionibus brevibus utimur, enumeratione ad exitum causae.

[3] cf. Theon. προγ. II 109 Sp. Menander ib. III 419 sq. Plato Menex. 237 A [Dem.] epit. 1 sqq.

[4] cf. Photius cod. 260 τάχα δ' ἂν τιc αὐτὸν αἰτιάcαιτο κλοπῆc, ἐξ ὧν ἐν τῷ πανηγυρικῷ λόγῳ αὐτοῦ πολλὰ τῶν κατὰ τοὺc ἐπιταφίουc λόγουc εἰρημένων Ἀρχίνῳ τε καὶ Θουκυδίδῃ καὶ Λυcίᾳ ὑπεβάλετο. ἀλλ' οὐδὲν κωλύει κ. τ. λ.

[5] Paneg. 83. 186. Phil. 112. Panath. 83. Euag. 64. Io Chius ap. Plut. Pericl. 28. [Dem.] epit. 10 sq. Hyperid. epit. 12. Nicol. προγ. I 340 W.

[6] Euag. 2. Plataic. 61. Aeginet. 42. Demosthen. Lept. 87. Theod. Prodrom. epithal. (ed. Castellani Veneciae 1888) 59: εἴ τίc ἐcτι καὶ ταῖc ψυχαῖc ταῖc ἀπελθούcαιc γνῶcιc | καὶ τῶν δρωμένων αἴcθηcιc ἐπὶ τοῦ κόcμου τοῦδε.

laudatio vitae cursum sequatur. Hoc eam ob causam moneo, quod posteris alia quaedam laudationis dispositio usitatior erat. Rhetores enim magis magisque factorum ordine neglecto singulis virtutibus sua cuique facta adscribebant, id quod iam apud Cornificium l. c. legimus 'ad omnes res in quibus animus hominis maxime consideratur, illae quattuor animi virtutes sunt adcommodandae'. Etiam apertius eam factorum distributionem indicant Cicero Theo Quintilianus Menander Aphthonius [1]. Hanc dispositionis diversitatem animadvertit et dilucidis verbis explicat Quintilianus (III 7) 'alias aetatis gradus gestarumque rerum ordinem sequi speciosius fuit [2] . . . . . alias in species virtutum dividere laudem, virtutis iustitiae continentiae ceterarumque, ac singulis adsignare, quae secundum quamque earum gesta erunt'.

Isocrates igitur — eumque secutus Xenopho in Agesilao — res gestas eodem quo factae sunt ordine narrant, nisi quod Xenopho singulari virtutum descriptioni fabellas quasdam ex rerum conexu solutas testimoniorum loco inserit. Sed cave credas historicorum diligentia ac fide laudatores uti. Immo in Euagora bellum eius cum rege Persarum tanta levitate narratur, ut non modo singuli belli anni non distinguantur sed ne summa quidem adtingantur. Nimirum cladem navalem ab Euagora acceptam narrare a laudatione alienum erat.

Haec omnia nobiscum reputantes non possumus non magno opere dolere, quod prima ista vitae descriptio ab Isocrate profecta est. Thucydides sane eiusque aequales illo munere multo melius functi essent. Sed nostrum non est Isocratem condemnare, sed studia illorum temporum cognoscere. Vitarum igitur descriptio aeque atque historia per Isocratem rhetoribus tradita est.

Quantum vero plausum eius Euagoras ab aequalibus tulerit, eo perspici potest, quod haud multo post sexcentas in Agesilaum et Gryllum, Xenophontis filium, laudationes scriptas esse scimus [3]. Praeterea probabile videtur esse etiam ea quae Isocrates in orationibus promittit

---

[1] Theo l. c. II 109 sq. 112. Cicer. d. orat. 345. Quintil. III 7. Menand. l. c. III 373. 5. Aphthon. ib. II 35 sq.

[2] simili modo distribuit Emporius (Halm rhett. lat. min. p. 567) 'laudatur autem aliquis aut reprehenditur ex his qui sunt ante ipsum (genus, patria, parentes, propinqui), quaeque in ipso (nomen, educatio, institutio, corporis species, ordo factorum) quae post ipsum (exitus vitae, existimatio mortuum consecuta).

[3] v. Isocrat. ep. ad Archid. 1. Laert. Diog. II 55.

encomia [1] a discipulis eius confecta esse; atque Xenophontis cuiusdam [2] 'βίουc 'Επαμεινώνδου καὶ Πελοπίδου' Isocratis exemplo fuisse compositos mihi quidem persuasum est. Quodsi denique Dionysius Halicarnassensis (de adm. vi dic. in Dem. 44) mentionem facit encomii in Pausaniam facti coφιcτικοῦ λήρου μεcτοῦ, videre licet plurimos eius aetatis viros talibus laudationibus operam dedisse. Personatus autem iste Demosthenes Pausaniae memoriam a plerisque infamatam ambagibus rhetoricis expiare frustra videtur conatus esse.

Iam vero ea quae etiam nunc servatur laudatio nobis tractanda est, Xenophontis Agesilaus. E re est uberius de ea dicere, quoniam — sive spurium sive genuinum Agesilaum declaraverimus — accurata quaestione totum hoc laudationum genus melius cognoscemus.

De Xenophontis Agesilao.

§ 1. de forma laudationis.

Postquam a Valckenaerio laudatio illa Agesilai quae Xenophontis nomine fertur frigidi cuiusdam sophistae opusculum miserrimum dicta est, maior pars virorum doctorum in illa sententia acquievit, pauci contradicere atque genuinum eum esse Xenophontis libellum contendere ausi sunt [3]. Novissimus Hartmannus [4] argumentis e re atque forma petitis [5] librum Xenophontis non esse sibi videtur demonstravisse.

Sed quamvis multa ille de Xenophontis scriptis optime iudicaverit, tamen hoc loco in ipsa argumentandi ratione haereo. Nam postquam argumentari desiit, unumquemque ait qui Xenophontem satis legerit omnino sentire debere, encomion illud Xenophonte prorsus indignum

---

[1] Euag. 57 περὶ μὲν οὖν Κόνωνοc ἄλλος ἡμῖν ἔcται λόγoc. — π. ἀντιδ. 107 sqq. Timothei, π. ζεύγ. 25 sqq. Alcibiadis laudes adumbrantur.

[2] frater Nicostrati comici (v. Menagium in commentar. Laert. Diog. II 59 ed. Huebner I p. 384).

[3] omnium virorum doctorum iudicia collegerunt G. Sauppius in praefatione editionis et A. Roquette in diss. 'de Xen. vita et scriptis' Regim. 1884 p. 101 sqq.

[4] analecta Xenophontea Ludg. Bat. 1887.

[5] quorum maximam partem iam collegit Hagenus 'de Xenophonteo qui fertur Agesilao' Bern. 1865.

esse. Hanc ratiocinationem non possum probare. Illud dicendi genus quod nos Xenophonteum dicere solemus, — Cyropaediae scilicet et Cyri minoris expeditionis — non erat laudationi aptum. Isocrates quindecim fere annis ante primus virum paullo antea mortuum encomio laudaverat. Iam neglecto antiquo more religioso, quo viros de re publica bene meritos singulari libello vel oratione laudare nefas habebatur, multi Isocratem secuti sunt laudationibus in singulorum honorem compositis. Alia vero dictio eius est qui res gestas narrat, alia eius qui virtutes hominis rhetorum modo ornare studet. Itaque si Xenopho Agesilaum erat laudaturus [1], fieri non poterat quin formam encomii a rhetoribus excultam usurparet, quorum studia Isocrates primus a nugis atque ineptiis cum ad alia tum ad virorum bonorum res gestas laudandas revocaverat.

Quid laudationum atque totius demonstrativi generis dicendi proprium sit, supra demonstravimus: mores atque virtutes accurate describuntur, rerum praeclare gestarum laudes in astra tolluntur, calamitates et errata silentio praetereuntur, temporum ratio neglegitur. Iam inquirendum est, Agesilai encomion ad rhetorum praecepta exactum sit necne.

Ac primum quidem rationem eius partis [2] exploremus qua res gestae Agesilai enarrantur, quae laudator omiserit vel mutaverit indagando. Maioribus patriaque laudatis scriptor litem de regno inter Agesilaum et Leotychidam ortam eo compositam esse dicit, quod Spartiatae genus et virtutes Agesilai praeferenda esse existimavissent (I 5). Nihil legimus eorum quae in historia Graeca (III 3, 3 sqq.) narrantur: Lysandro potissimum auctore qui tum Spartae plurimum valeret Agesilaum regem factum esse. Simili modo encomii scriptor dicit Agesilaum ipsum Spartiatis proposuisse, ut cum octo milibus militum in Asiam transmitteretur, cum ex Hellenicis (III 4, 2) constet Lysandrum Agesilao id persuasisse hoc maxime consilio, ut ipse ea quae olim in Asia novaverat restitueret atque perficeret. Laudationi nimirum aptum non erat mentionem facere eius viri qui Agesilao rege uti volebat ad sua consilia perficienda. Sacris [3] quoque quae Aulide minime ex voto successerant silentio praeteritis § 11 eadem narrantur quae in Hellenicis (III 4, 6), § 12 Agesilai

---

[1] ipse aperte dicit (Ages. X 3): ἀλλὰ γὰρ μὴ θρῆνόν τις τοῦτον τὸν λόγον νομιζάτω ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον ἐγκώμιον.

[2] pleraeque huius partis sententiae ad verbum consentiunt cum historia Graeca.

[3] cf. Hell. II 4, 3 sq.

iurisiurandi observantia laudatur, sequentia congruunt cum Hellenicis (III 4, 11 sqq.) [1]. Notatu dignum est hoc loco Agesilai cum Lysandro simultatem et Spithridatis a rege defectionem praetermitti. Lysander enim cum Agesilaum iniuria lacessivisset, in Hellespontum dimissus satrapam illum ad Graecorum partes traxerat. Encomii vero scriptor capite tertio demum rem sic narrat, quasi sola Agesilai fides Spithridatem a rege abduxerit. In historia Graeca secuntur proelium equestre quo Graeci fugabantur atque auspicia Agesilao non ex sententia facta. In laudatione nihil eiusmodi, sed explicatio satis verbosa de Agesilai prudentia militari, qui Tissaphernem dolo vicerit, amicos liberalitate obstrinxerit, hostium benevolentiam clementia atque beneficiis sibi comparaverit. Sequentia [2] usque ad § 32 consentiunt cum Hellenicis (l. c. 15—24), nisi quod Lysandrum domum abiisse eiusque sectatores aliis triginta viris cessisse in encomio non invenimus. Omnia scilicet quae ad Lysandrum pertinent odit laudator atque omittit. Cetera quae primo capite leguntur scriptor rhetorum modo exornavit, excepta paragrapho 35, qua de Tissaphernis morte iisdem verbis atque in historia Graeca (III 4, 25) certiores fimus. Etiam magis encomii ratio eis cognoscitur quae hoc loco silentio praetereuntur quam quae laudantur. Discimus enim ex historia Graeca (IV 3, 26 sqq.), Agesilaum triginta talentis a Tithrausta acceptis commotum esse, ut in Phrygiam decederet. Quae res duce bellicoso et forti non admodum digna ab encomii auctore recte omittitur. Quid? quod capite quarto (§ 6) eadem res ita narratur, tamquam Agesilaus pecuniam omnino repudiaverit. Novimus quoque (cf. Hell. l. c.) Agesilaum Pisandrum, uxoris fratrem, rerum nauticarum imperitum classi praefecisse, quod ipsum quoque in encomio deest. Colloquium vero cum Pharnabazo habitum capite tertio invenitur ut testimonium fidei ab Agesilao semper servatae. Eorum denique quae in Graecia iis temporibus agebantur nihil exhibet encomion, nisi quod capite septimo (§ 5) tantum Agesilai erga Graecos amorem fuisse legimus, ut nuntio accepto multos [3] eorum ad Corinthum a Lacedaemoniis interfectos esse non gavisus sit, sed interitum illorum deploraverit. Secundo encomii capite usque ad

---

[1] cf. Hell. III 4, 7 sqq. Ceterum ei qui Agesilaum ex historia Graeca sine ulla diligentia transscriptum esse dicunt, inspiciant hos locos: Ag. I 13 ubi bene omittuntur verba παρὰ βασιλέως (Hell. III 4, 11), quippe quae iam brevi spatio ante (§ 11) legantur, et I 23 coll. Hell. III 4, 13.

[2] de § 24 infra disputabimus.

[3] numerus hostium iusto magis auctus est v. infra.

§ 19 eadem fere leguntur quae in historia Graeca IV 3, 3—9 [1]. 15—21; additamenta autem illa (§§ 7. 8. 12. 14) quibus res ipsae amplificantur et exornantur propria sunt laudationum. Sed haec hactenus; nam rhetoris studium satis iam potest cognosci. Omnia quibus Agesilai gloria minuitur silentio praetereuntur: Lysandri in eum beneficia, proelia vel sacra non ex sententia facta, pecunia a Tithrausta accepta, facinora denique cum in alios tum in Thebanos commissa. Notum enim est Agesilaum Lacedaemoniis ipsis saepe molestum fuisse, cum paucorum imperio [2] semper studeret succurrere, liberis autem civitatibus maximeque Thebanis [3] numquam desineret nocere aut bellum inferre.

Corporis quoque atque educationis nulla fit mentio. Plutarcho enim et Athenaeo [4] testibus Agesilaus χωλὸς erat et βραχὺς τὸ σῶμα, neque priusquam Lysandro auctore rex factus est, inter cives videtur floruisse. Alia in encomio exstant quae in omnibus eius generis libellis invenias. Res quae narrantur — in primis numeri [5] — in maius augentur, temporum ratio neglegitur [6], verba laudandi [7] et testimonia rhetorica [8], ut taedium fere capiat legentem, repetuntur.

Haec omnia non neglegenda esse putavi, ut Hartmanni sententiam refellerem, qui Agesilaum Xenophontis non esse unumquemque dicit sentire debere. Simplex enim dicendi ratio, qua Xenopho rerum scriptor utitur, ab hac materia prorsus aliena erat. Is qui rhetorum modo virtutes et merita hominis laudaturus erat, vitia atque errata celaturus, non potuit ornamenta atque artificia illorum aspernari. Desinamus igitur mirari Xenophontem talia scripsisse atque in singula potius inquiramus, quae viris doctis non placuerunt.

---

[1] §§ 10—14 narratur Agesilaum clade Cnidia nuntiata militibus, ne animis caderent, pronuntiavisse Lacedaemonios victoriam ab hostibus reportavisse.

[2] cf. Hell. V 2, 3. 3, 16. 4, 25. Isocr. Phil. 87 sq. (= epist. IX 13 sq.).

[3] Hell. V 1, 33. 2, 32. Plut. Ages. XXVI.

[4] Plut. Ages. III. XXX. Athen. XIV p. 616 D.

[5] ad III 4 vide Sauppium in appendice editionis p. 42.

[6] Hell. III 4, 20. IV 1, 16.

[7] I 1. 4. 8. 12. 17. 24. 36. 37. II 7. 12. 21. 25. 27. V 4. 7. VI 8. VII 2. 3. VIII 4. 5. 6. X 1. 3. [XI 1].

[8] I 5 bis III 1. IV 1. V 7. VI 1. VIII 7. huc ii quoque loci referendi sunt ubi laudator legentes quasi adloquitur veluti II 7. III 2. IV 3. V 6. 7.

§ 2. laudatio cum rerum historia consentit.

Ordinem et dispositionem locorum ab Hartmanno confectam sequar, qui nonnullis Hageni erroribus refutatis ipse gravissima argumenta quibus Agesilaum Xenophontis non esse viri docti demonstrabant collegit atque disposuit. Summum quod laudatori crimini datur sic pronuntiatur: 'aperte et impudenter mentitur'!

Capite enim primo (56) Agesilaus rex factus esse dicitur 'ἔτι νέος ὤν'. Quoniam vero Agesilaus illo tempore quadraginta fere annos natus erat, sequitur ut laudator mentitus sit. Sed notio vocis νέος omnino certis finibus definiri nequit. E. Rhode [1] demonstravit ne eos quidem scriptores, quibus in primis notione illa accurate utendum erat, eosdem annos voce νέος significare. Praeterea Graeci ipsi novisse videntur ab aliis alio modo eam definiri, id quod probari videtur Memorabilium loco (I 2, 35) ubi legitur: καὶ ὁ Σωκράτης, Ἵνα τοίνυν, ἔφη, μὴ ἀμφίβολον ᾖ, ὁρίσατέ μοι μέχρι πόσων ἐτῶν δεῖ νομίζειν νέους εἶναι τοὺς ἀνθρώπους. καὶ ὁ Χαρικλῆς, Ὅσουπερ, εἶπε, χρόνου βουλεύειν οὐκ ἔξεστιν ὡς οὔπω φρονίμοις οὖσι· μηδὲ σὺ διαλέγου νεωτέροις τριάκοντα ἐτῶν. Accedit quod Plutarchus (Pericl. 3) de pugna Marathonia verba faciens Themistoclem νέον ἔτι dicit, cum ille haud minor esset triginta quinque annis. Videmus igitur Graecos illa voce haud raro usos esse aeque ac nos voce *jung* i. e. contrarium dicentes voci γέρων. Hic denique locus haud scio an ita quoque explicari possit [2], ut aliorum regum aetatibus comparatis Agesilaus ἔτι νέος ὤν rex dicatur factus esse. Nihil igitur invenio mendacii.

Alter locus, quo laudator mentitus esse dicitur, etiam facilius expediri potest. I 3 Agesilai maiores οὐ δευτέρων πρωτεύουσιν ἀλλ' ἡγεμόνων ἡγεμονεύουσιν, quae verba adversarii post pugnas ad Leuctra et Mantineam commissas inepte atque mendose dici contendunt. Sed primum illa verba ad omnes Agesilai maiores referenda sunt, quorum multos Graeciae principatum tenentibus imperavisse nemo negabit; deinde Xenopho spem non prorsus deiecisse videtur futurum esse aliquando, ut Lacedaemonii Graeciae principatum recuperarent [3]. Quodsi capite decimo (§ 4) legitur: ἀναμάρτητος ἐτελεύτησε satis habeo repetere,

---

[1] Mus. Rhen. XXXVI 538.

[2] id quod Stahl proposuit Phil. Anz. XVI 42.

[3] cf. Hell. VII 5, 26. 27 ubi non modo non Lacedaemoniorum imperium fractum et deletum esse legimus, sed ne victos quidem eos esse traditur.

quanta diligentia laudator primo et secundo capite Agesilai errata et peccata occultaverit, nec non Isocratis adferre verba (Panath. 123) δεῖ δὲ τοὺϲ ἐπιχειροῦνταϲ καθ' ὑπερβολήν τιναϲ ἐπαινεῖν μὴ τοῦτο μόνον ἐπιδεικνύναι, μὴ πονηροὺϲ ὄνταϲ αὐτούϲ, ἀλλ' ὡϲ ἁπάϲαιϲ ταῖϲ ἀρεταῖϲ καὶ τῶν τότε καὶ τῶν νῦν διήνεγκαν[1].

In aliud crimen scriptor vocatur his verbis: ʿornandi causa narratiunculas fingit Xenophonti ignotas'. I 6 non solum classem sed etiam copias pedestres a Persarum rege parari nuntiatur, cum in historia Graeca (III 4, 1 sq.) Herodas Syracusanus classem tantum armari dicat. Mea quidem sententia laudator duos nuntios diversis temporibus adlatos hoc loco narravit, nam copias pedestres quoque ad Graecorum oppida capienda a rege collecta esse pro certo licet adfirmare. Tribus enim mensibus (Ages. I 10) non potuit nuntius de Agesilai adventu Sardes adferri, ingens Persarum exercitus colligi, collectus e Media usque ad mare proficisci. Satis quidem memorabile est Cyrum minorem sex fere menses in expeditione consumpsisse. Agesilai igitur scriptor cum sciret exercitum quoque a Persarum rege clam paratum esse, temporum ratione neglecta legentes de utroque nuntio simul certiores fecit. In Hellenicis autem res suo quaeque loco narratur: Agesilaus cum exercitum parari nesciat, temere inducias facit a Tissapherne petitas, quibus ille ad copias arcessendas abutitur[2]. Sic legentes eodem modo quo olim Agesilaus Persarum adventu quasi opprimuntur.

I 33 legimus Agesilaum eos qui libertatem quaererent ad se venire iussisse, eos autem qui Asiam subigere vellent ad depugnandum provocavisse. Quod enuntiatum Hartmannus nihil esse dicit nisi imitationem doli a Themistocle inventi (Herod. VIII 22) — acutius me iudice quam verius. Mihi quidem numquam mirum esse visum est, quod additamentum illud rhetoricum in historia Graeca non exstat.

IV 5 Agesilaus laudatur, quod Agidis heres legitime factus[3] dimidium heredii cum cognatis suis communicaverit. In hoc quoque cur

---

[1] idem iudicandum est de IV 2 'Αγηϲίλαοϲ δὲ οὐ μόνον κ. τ. λ. (coll. Hell. III 3, 3. 4, 7 sqq.) et de VII 6 (coll. Hell. IV 5, 3).

[2] hic locus argumento nobis esse potest — id quod infra pluribus demonstrabimus — primi et secundi capitis contextum antiquiorem esse quam is qui in Hellenicis legitur. Xenopho enim cum Hellenica denuo tractaret, verba ὁριϲάμενοϲ τῆϲ πράξεωϲ τρεῖϲ μῆναϲ scite omisit, quanta imprudentia Agesilaus olim egerit legentes celaturus.

[3] Leotychidas Agesilao rege creato spurius erat declaratus (Plut. Ages. IV).

Hartmannus offenderit non intellego. Res ipsa per se probabilis Agesilai liberalitatis testimonium laudabile est. Recte autem in historia Graeca talia omittuntur. Alii quoque sunt loci qui, quod res in historia Graeca non traditas exhibent, a viris doctis Xenophonti abiudicantur.

VII 5 narratur Agesilaum proelio ad Corinthum nuntiato doluisse, quod Graeci se ipsi trucidarent, cum omnes viribus unitis Persas vincere possent. Iam vero quoniam Nepos (Ages. V 2) Agesilaum ipsum proelio interfuisse tradit, Hagenus nullo modo fieri potuisse censet, ut is, qui ipse dux in proelio fuerit[1], decem fere milia militum cecidisse conclamaret, cum tria fere milia essent occisi. Sed ut omittam haec omnia rhetorice dicta atque aucta esse neque, si Nepos erravit (cf. Hell. IV 3, 1), nobis quoque errandum esse, Xenopho ipse l. c. παμπληθεῖϲ τῶν πολεμίων τεθνάναι tradit; itaque is, qui in libro historico numerum mortuorum permagnum fuisse tradidit, facile in encomio decem fere milia (i. e. sexcentos fere) cecidisse scribere poterat. Verba ipsa ab Agesilao coram Xenophonte vel alio quodam amico dici potuisse quis est qui negaverit? Simili modo III 3 de Spithridatis a rege defectione et VIII 3 de litteris Agesilao a rege missis plura narrantur quam in Hellenicis (III 4, 10—25), nimirum quod historiae illae magis ad res privatas quam publicas pertinent.

II 1 Agesilaus laudatur, quod eadem via idem quod Xerxes Graecos subacturus anno vertente iter ipse minus triginta diebus fecerit. Hoc quoque rhetorice additum est, quod proelii Corinthiaci nuntium, qui in Hellenicis IV 3, 1 sqq. legitur, scriptor alio loco (VII 5) narraturus erat. Quanto autem tempore Xerxi in Graeciam transeunti opus fuerit, ea de re iam Xenophontis aetate alius aliud videtur iudicavisse. Cornelius Nepos ut in vita Themistoclis (V 2) sex menses fuisse tradit ita in Agesilao (IV 4) Xenophontem secutus totum annum in illo itinere consumptum esse narrat. Mea quidem sententia Xenopho vulgi rettulit opinionem.

Iam transeundum est ad eos locos, in quibus ʿlaudator Xenophontis locos non intellectos corrupisse' dicitur. Ac primum quidem de numero militum, quibuscum apud Coroneam Agesilao pugnandum erat, encomii scriptorem cum Xenophonte consentire negant. Illius enim verba sunt II 7 πλῆθόϲ τε οὐδὲν μεῖον ἢ τὸ τῶν πολεμίων παρεϲκεύαϲτο et II 9 ἑώρων δὲ τὰϲ φάλαγγαϲ ἀλλήλων μάλα ἰϲομάχους κ. τ. λ., hic Agesilaum

---

[1] quo modo voce ϲτρατηγὸν (§ 4) demonstretur Agesilaum ipsum pugnae interfuisse non intellego.

multo plus levis armaturae habuisse tradit (Hell. IV 3, 15). Sed utrumque a Xenophonte scriptum est. Quoniam neutrius exercitus quo numero singulae partes fuerint satis constat, nemo nos refutabit, si Agesilaum levis armaturae militibus superiorem, gravis armaturae numero inferiorem fuisse contenderimus, praesertim cum Cyrios et mercennariorum magnum numerum ex Asia (Hell. IV 2, 5) secum duceret nec non per Thraciam et Thessaliam profectus ex illis regionibus velites mercede conduxisset; quamquam mihi non minus probabile videtur esse illa quoque verba (II 9) addita esse, ut victoris gloria augeretur.

Dignissimus qui accuratius inspiciatur alius locus est:

II 10 ἀντεξέδραμον ἀπὸ τῆς Ἀγησιλάου φάλαγγος ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει — ἦσαν δ' οὗτοι τῶν τε ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένων καὶ τῶν Κυρείων τινές — [1], καὶ Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολεῖς καὶ Ἑλλησπόντιοι ἐχόμενοι coll. Hell. IV 3, 17. ἀντεξ. ἀ. τ. Ἀ. φ. ὧν Ἡριππίδας ἐξενάγει καὶ σὺν αὐτοῖς Ἴωνες κ. τ. λ. et IV 3, 15. πρὸς δὲ τούτοις οὗ Ἡριππίδας ἐξενάγει ξενικοῦ.

Viri docti verba (II 10) ἦσαν .... τινὲς a Xenophonte scribi non potuisse contendunt, quippe qui Herippidam Cyriis praefecerit (Hell. III 4, 20) neque τοὺς ἐξ οἴκου αὐτῷ συστρατευσαμένους ʻνεοδαμώδειςʼ adpellare potuerit ξενικόν. Concedo; sed ubinam sunt illa sex milia sociorum [2] qui cum Agesilao in Asiam transierunt? Me iudice Agesilaus omnino non totum illum numerum a sociis accepit. A Thebanis certe repulsam tulerat (Hell. III 5, 5) atque ex Xenophontis verbis (III 4, 4) καὶ συλλέξας ἐκεῖ ὅσον ἐδύνατο τοῦ στρατεύματος πλεῖστον concludo sociorum multos ab Agesilao frustra exspectatos esse. Eorum vero qui cum Agesilao in Asiam transierunt magna pars ab iis missa erat civitatibus, quae brevi post a Lacedaemoniis defecerunt. — Corinthii iam anno 395 Pausaniae in Thebanos profecturo auxilia non miserunt ceterorumque fides Lysandro ad Haliartum occiso adeo erat suspecta, ut Pausanias cum Thebanis congredi nollet (III 5, 18. 23). Insequenti vero anno nonnisi Elidis Argolidisque oppida [3] a Lacedaemoniorum partibus stabant. Veri igitur simillimum est Agesilaum, cum quattuor milia militum in Asiae oppidis relicturus esset (IV 2, 5), eos maxime elegisse [4], quorum urbes patriae a Lacedaemoniis defecerant quique iam

---

1 sic verba distinguenda sunt.

2 Hell. III 4, 2 = Ag. I 7.

3 Elei Triphylii Lasconii Acrorii Sicyonii Epidaurii Troezenii Hermionenses.

4 Herbst (ann. phil. 77. 691) socios illos cum Agesilao in Europam rediisse et Herippida duce ad Coroneam dimicavisse censet.

ineunte bello (III 4, 11) haud cupidi fuerant pugnandi. Paucis vero sociorum quos secum ducturus erat Herippidam praefecit, Cyriorum ducem, virum praeter ceteros fidelem [1] gloriaeque cupidissimum [2]. Sic enuntiatum (Ag. II 11) intellegendum esse censeo. — Verba autem ἐξενάγει ξενικοῦ (Hell. IV 3, 15) ut explicemus, primum monendum est sociorum quoque copiis semper Spartiatam quendam ξεναγὸν praefuisse [3]; tum sociis illis aeque ac Cyriis stipendium in Asia persolvebatur non a civitatibus patriis, quae aut defecerant aut ipsae novas copias instructurae erant, sed ab Agesilao. Eodem igitur iure mercennarii illi poterant vocari quo Cyrii ceterique quos Agesilaus mercede conductos ex Asia secum ducebat. Omnino rem stipendiariam iam Agesilaus vario modo adhibuit. Praemia militibus iam altero belli anno (III 4, 16) proponit, divitibus ut militia se solvant permittit, in Europam rediturus iterum praemia exercitui proponit. Quid? quod Agesilao reverso statim maiores mercennariorum manus Iphicrate duce deprehendimus (IV 4, 9. 14), neque multo post Peloponnesii milites mercede conducere constituerunt (V 2, 21). Enuntiatum igitur laudationis non solum cum historiae Graecae verbis optime consentit sed etiam a sophista quodam illorum temporum imperito non poterat addi. — Maxime offendunt in eis locis quibus Agesilai res gestae usque ad pugnam ad Mantineam commissam a laudatore ipsius verbis narrantur (Ag. II 20 sqq.). Sed priusquam singula tractemus, in memoriam revocemus haec: pugna ad Coroneam commissa Agesilaus Corinthiis Acarnanibus maximeque Boeotis bellum inferre numquam desinebat omniumque in Lacedaemonios odium in dies magis augebat. Ei autem qui Agesilaum erat laudaturus non solum cavendum erat, ne peccata eius narraret, sed etiam rebus adversis Agesilaus semper dux peritissimus patriaeque amantissimus celebrandus erat.

II 21 laudator erravisse dicitur, quod Corinthios et Thebanos ab Agesilao anno 387 coactos esse tradit, ut exsules revocarent. In historia enim Graeca (V 1, 33 sq.) legimus Thebanos oppidis occupatis libertatem reddidisse, Corinthios exsules revocavisse. Sed iam Grotius [4] probabilem fecit coniecturam Thebanorum quoque exsules cum Agesilao fuisse; neque cur Xenopho id ipsum hoc loco elégerit difficile est ad intellegendum: omnia enim paragrapho 21 ad φιλεταιρίαν Agesilai refe-

---

1 Hell. III 4, 6. 20. IV 2, 8. 8, 11.

2 IV 1, 21. 3, 17.

3 Thucyd. II 75. Hell. III 5, 7. IV 2, 19. 3, 17. V 2, 7. VII 2, 3.

4 hist. Graec. p. 538.

runtur, qui semper Lacedaemoniorum partibus faventes Thebis Corinthi Phliunte [1] adiuvit.

De paragraphi proximae verbis εὑρὼν δὲ ἀποτεταφρευμένα καὶ ἀπεσταυρωμένα ἅπαντα (= Hell. V 4, 38), ὑπερβὰς τὰς Κυνὸς κεφαλὰς ἐδῄου τὴν χώραν μέχρι τοῦ ἄστεος Hagenus sic fere disputavit: laudator Cynoscephalas, Boeotiae vicum [2], quem Agesilaus transgredi non poterat, cum Cynoscephalis Thessaliae collibus confudit. Sed quis nos refutabit, si Cynoscephalas vicum aut ipsum in collibus qui prope Thebas sunt situm fuisse contenderimus aut ab illis nomen suum traxisse? Neque enim aliam video rationem, qua nomen illius vici explicari possit [3]. Qua sententia probata nulla restat difficultas. Agesilaus Cithaeronem transgressus cum Thebanorum munimenta perrumpere non posset, occasione data per collem aliquem prope Thebas situm intra hostium vallum pervenit.

In verbis (§ 23) συνεστηκότων ἤδη Βοιωτῶν τε πάντων καὶ Ἀρκάδων καὶ Ἠλείων non est offendendum, quod Boeoti expeditione Agesilai facta Eleis demum auxilio venerunt (Hell. VI 5, 19 sqq.). Ut hostium numerus augeatur, suo iure laudator eos quoque nominat quorum adventus in dies magis exspectabatur.

Summas difficultates in paragrapho insequenti Hagenus et Hartmannus invenisse sibi visi sunt. Atque primum laudator Xenophontis locum (VI 4, 15) ὁρῶντες δ' αὐτῶν Σπαρτιατῶν, ὄντων τῶν ἐκεῖ ὡς ἑπτακοσίων τεθνηκότας περὶ τετρακοσίους non intellexisse dicitur, quod verbis καὶ αὐτῶν Σπαρτιατῶν οὐ μειόνων ἀπολωλότων ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ ἢ λειπομένων totidem Spartiatas cecidisse significetur quot omnino post pugnam Spartae reliqui fuerint. Sed ut omittam Xenophontis verba ὄντων τῶν ἐκεῖ κ. τ. λ. ne a puero quidem male intellegi posse, hoc loco verbum λειπόμενοι alio modo explicari nequit nisi οἱ ἐν τῇ ἐν Λεύκτροις μάχῃ λειπόμενοι. Tum in eo peccatum esse argumentantur, quod duae in Laconicam expeditiones confusae sint et de Agesilai prudentia idem sit traditum quod in historia Graeca (VII 5, 11) de Epaminonda. Neutrum possum probare. Omnia enim quae hoc loco narrantur ad expeditionem a. 369 factam pertinent, atque Epaminondae expeditio (a. 362) aeque ac pugna ad Mantineam commissa omnino silentio praetermittitur. Postquam Ischolaus dux qui non loca avia sed vicum facilem aditu obtinere conatus esset, interfectus est, Thebani Elei Arcades alii prope ad urbem muris non circumdatam (Ag. II 24 ἀτείχιστον = Hell. VI 5, 28) accesserunt et agros vastaverunt. Lacedaemonii Ischolai clade moniti non in campum descenderunt sed trecentis adolescentibus in insidiis collocatis hostes oppresserunt et ut ab urbe discederent coëgerunt (Hell. VI 5, 31 sq.). Id ipsum in Agesilao quoque narratur, quamquam ex laudationum usu omnia ad Agesilai personam referuntur. Epaminondam autem Spartam oppugnantem (VII 5, 11) cavisse, ne ipse quoque insidiis deciperetur, nemo sane mirabitur. Sic factum est, ut de illo et Agesilao idem scriptor idem nobis traderet.

[1] Phliasiorum nobilibus ut Agesilaus in primis amicus erat (Hell. V 3, 13) ita Xenopho in postremis Hellenicorum libris laudes eorum canit (VI 5, 38. VII 2, 1 sqq. 16. 3, 1).

[2] Stephanus Byzantius s. v.

[3] sicuti mons et vicus Corydallus prope Athenas.

In aliis vero eiusdem paragraphi verbis πρὸς δὲ τούτοις ἀφεστηκότων μὲν τῶν δούλων, πολλῶν δὲ περιοικίδων πόλεων Xenophontem ipsum deprehendimus. In historia enim Graeca (VI 5, 25. 28 sqq.) ut nonnullos τῶν περιοίκων defecisse legimus ita de servorum defectione nihil comperimus. Immo magnus Helotum numerus libertate promissa armis instruitur. Sed alius exstat locus quo eadem leguntur atque in Agesilao (Hell. VII 2, 2): ἀποστάντων μὲν πολλῶν περιοίκων, ἀποστάντων δὲ πάντων τῶν Εἱλώτων. Quid igitur? Erravitne Xenopho an 'haec verba ex Agesilao in Hellenica transmigraverunt?' [1] Neutrum mea sententia factum est. Etiam priore Hellenicorum loco perspici potest plurimorum servorum fidem suspectam fuisse; legimus enim Spartiatas Helotibus armatis timuisse, ne illi quoque hastas in dominos converterent (Hell. VI 5, 29). Praeterea ii qui extra muros erant servi si non ad hostes defecerunt at certe Spartiatas nullo modo adiuverunt. Ea autem lectio quam in Agesilao et historiae Graecae loco posteriore invenimus, rhetorice est aucta; altero enim loco periculum in quo Agesilaus olim versabatur amplificatur, altero Phliasiorum fides qui in tanto rerum discrimine succurrere non dubitaverant laudibus effertur.

Paucis denique ceteros locos in quibus Hartmannus aliique offenderunt, explicemus.

Capite enim septimo (§ 7) verbis ὁ νῦν βασιλεὺς συμμαχεῖ κ. τ. λ. temporum rationem violatam esse dicunt, quod Persarum rex post pugnam Mantineensem nihil tale admiserit. Neque vero de illis tantum temporibus vox νῦν intellegenda est sed de omni aevo quo Xenopho eiusque aequales Artaxerxem alterum Graecorum res turbantem et miscentem viderunt. — Quodsi pugnam ad Coroneam factam his verbis cele-

[1] haec est Hageni sententia.

bratam legimus: καὶ γὰρ ἐγένετο οἵαπερ οὐκ ἄλλη ἐφ' ἡμῶν (II 9), rhetorem audimus grandiloquum qui occasione data iisdem verbis ad quamvis pugnam laudandam uti non dubitaverit. Accedit quod Xenopho haec ex schedis ante pugnam Leuctricam exaratis[1] transscripsit — id quod infra demonstrabimus.

Verba νυκτὶ ὅςαπερ ἡμέρᾳ χρῆςθαι (VI 6) laudator ex Hellenicis ubi Iaso Pheraeus celebratur (VI 1, 15) desumpsisse dicitur. Vide quo veteratoris deprehendendi cupidi abripiantur! Neque enim uberius demonstrandum est illa verba, ut a quovis auctore adhiberi possint, ita etiam alibi apud Xenophontem occurrere (de rep. Lac. V 7).

Haec fere sunt quibus commoti viri docti Agesilaum libellum Xenophonti abiudicandum esse censuerunt. Nos vero postquam singula illorum argumenta integro iudicio examinavimus, nihil invenimus quod Xenophonte indignum sit, plurimas difficultates ipsa encomii forma expedivimus, nonnulla deprehendimus quibus scriptorem illorum temporum peritissimum fuisse probatur.

§ 3. dictio est Xenophontea.

Hartmannus in fine dissertationis voces nonnullas adtulit, quae a Xenophontis dictione abhorreant. Ne hoc quidem prospero eventu. Constat inter omnes Xenophontis scripta vocabulis Ionicis Doricis poëticis[2] ἅπαξ εἰρημένοις quae vocantur referta esse, atque Cobetus nuper optime dixit (N. L. 389): 'non est magno opere mirandum Xenophontem in tam diuturno exsilio in Asia et Peloponneso patriae linguae sinceritatem ab omni peregrinitatis labe intactam servare non potuisse'. Accedit quod Xenophonti in laudatione demonstrativo genere dicendi utendum erat[3], cuius propriae sunt voces compositae veluti ἀναμάρτητος ἀναμφιςβήτητος ἀείμνηςτος. Aliae eius generis voces quamquam non ab optimis adhibentur scriptoribus, tamen apud Isocratem leguntur veluti ἀνυπέρβλητος (Paneg. 71) ὑπερβαλλόντως (Dem. 28. Panath. 8. 72. 264) ἐξαρκούντως (Panath. 8). Sed ne in iis quidem vocibus quae apud alios

[1] historiae Graecae pars altera (usque ad V 1, 1), in qua eadem sunt verba (IV 3, 16), ante pugnam Leuctricam edita est v. p. 27.

[2] huc refero II 31 μιςθοὺς λύειν (cf. Soph. O. R. 407), VII 2 νόμοις λατρεύειν (Soph. O. C. 105. Eur. Io 129. Isocr. Hel. 57).

[3] Xenophontem in dictione rhetorica non rudem fuisse etiam 'respublica Lacedaemoniorum' docet quae prope abest a laudatione Lycurgi.

eiusdem aetatis scriptores non leguntur (ἀδιαςπάςτως Ag. I 4 ἀδήωτος I 34 ἀθορύβητος VI 7 ἀκαταφρόνητος VI 8 ἀντίπροικα I 18[1]) offendendum est; nam et exigua tantum fragmenta huius generis librorum nobis tradita sunt et similia apud alios quoque scriptores inveniuntur[2]. Plurimae vero quas Hartmannus adtulit voces argumento esse vix possunt, quod aut in aliis quoque Xenophontis scriptis exstant (παςςυδίᾳ Ag. II 19 Hell. IV 4, 9, οἷος c. inf. i. e. qui solet Ag. VIII 2 Hell. VI 3, 3 Memor. III 11, 1 ἀνὰ κράτος Ag. VIII 3 Cyrop. IV 6, 3. V 3, 12. VIII 3, 21 ἐρᾶν Ag. III 1. Conviv. IV 62. VIII 18. Cyneg. XII 10. 14. XIII 18) aut apud Xenophontis aequales vel potius optimos Graecorum scriptores leguntur (ὁ ἐπιτυχών Ag. I 3. Plat. Theaet. 171 C. Euthydem. 4 A. Cratyl. 434 A. Aristoph. ran. 1375, φρονηματίας Ages. I 24. Aristol. Polit. 1313. a. 40. ἐκδιώκω Ages. III 1. Thucyd. I 24). Pauca denique verba ceteris scriptoribus non usitata cum ratione grammatica optime conveniunt: οὐ κρατεῖςθαι ποιεῖν τι VIII 5 (cf. προάγειν Thucyd. III 45. Xen. hipp. V 15. πείθεςθαι Protag. 338 A), ἁρματροφεῖν (Hiero XI 5 ἁρματροφία), ὑφίςταςθαί τινί τι opponere alc. alqd. Tantum igitur abest, ut libellus propter nonnullas voces bonis scriptoribus minus usitatas spurius sit habendus, ut ea ipsa re Xenophontem agnoscas, 'virum militarem longe peregrinatum nec in verborum electione nimis religiosum'[3]. Sed ad graviora transeo.

§ 4. Agesilai primi et secundi capitis contextum antiquiorem esse quam nostram historiae Graecae editionem demonstratur.

Capitis primi et secundi sententias cum accuratius comparaveris cum historiae Graecae contextu, compluribus locis varias animadvertes lectiones; quarum nonnullae per codicum scriptores ortae videntur esse[4], tres in historia Graeca corrigendae[5]. Plurimis autem locis Hellenicorum contextus sine dubio praeferendus est:

[1] de forma vide Lobeck. paral. 280.

[2] ἀδιεξέργαςτος (Isocr. Phil. 109) ἀνεγκωμίαςτος (Euag. 73).

[3] Lobeck ad Phryn. 315.

[4] I 14 sq. πρὸς αὐτὸν .... τὸν αὐτοῦ coll. Hell. III 4, 11 sq. πρὸς ἑαυτὸν .... τὸν αὐτοῦ; I 15 ὁρμήςειν αὐτὸν .... coll. Hell. III 3, 14 αὐτὸν ὁρμήςειν.

[5] lege III 4, 6 αἰςθόμενος ταῦτα ὅμως ἐπέμενε τ. cπ. (Ages. I 11 aoristus ἐνέμεινε ex consilio laudationis explicatur) — IV 3, 3 τότ' ὄντες ἐτύγχανον — IV 3, 14 ἐτρέψαντο τὸ καθ' αὐτούς.

Ages.	Hellen.
I 11 εἰρήνην πράττειν	III 4, 6 εἰρήνην ἔχειν (antecedunt ϲοῦ πράττοντοϲ ταῦτα . . . . ἦ μὴν πράξειν ἀδόλωϲ . . . . ταῦτα πράττοντοϲ αὐτοῦ)
I 16 ἀντιϲτρέψαϲ	III 4, 12 τἀναντία ἀποϲτρέψαϲ
I 23 δέοι αὐτόν	III 4, 15 δέοι
I 24 προεῖπε . . . . καὶ ἐποίηϲεν . . . . μαϲτεύοι [1]	ib. προειπὼν . . . . ἐποίηϲεν . . . . ζητοίη
I 25 οἵτινεϲ κράτιϲτοι τὰ προϲήκοντα ἔργα φαίνοιντο	III 4, 16 ὅϲοι κράτιϲτοι πρὸϲ τὰ πρ. ε. φανεῖεν
ib. τὰ μὲν γυμνάϲια μεϲτὰ [τῶν] ἀνδρῶν γυμναζομένων, τὸν δὲ ἱππόδρομον ἱππέων ἱππαζομένων	ib. τ. μ. γ. μεϲτὰ ἀνδρῶν τῶν γ., τὸν δὲ ἱππόδρομον τῶν ἱππαζομένων
I 27 ἐϲτεφανωμένουϲ τε ὅπου . . . ἴοιεν καὶ ἀνατιθένταϲ	III 4, 18 ἐϲτεφανωμένους ἀπιόνταϲ καὶ ἀνατ.
ib. ϲέβοιεν [2]	ib. ϲέβοιντο
I 28 πίοναϲ	III 4, 19 μαλακούϲ
I 29 ἐπὶ τὸν Σαρδιανὸν τόπον ἐχώρηϲε	III 4, 21 εἰϲ τὸν Σ. τ. ἐνέβαλε
II 2 τὸ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου ϲτρατεύματοϲ ἱππικόν	IV 3, 4 τὸ ἀπὸ τοῦ ϲτόματοϲ ἱππ.
II 3 οἱ μὲν αὐτῶν οὐδ' ἀνέϲτρεψαν, οἱ δὲ καὶ ἀναϲτρέφειν πειρώμενοι	IV 3, 7 οἱ μὲν ἀ. οὐδ' ἀνέϲτρεψαν, οἱ δὲ πειρώμενοι τοῦτο ποιεῖν
II 5 ἐμηχανήϲατο	IV 3, 9 ϲυνέλεξεν
ib. ἐπορεύθη εἰϲ τὰ Βοιωτῶν ὅρια	ib. ἐπ. μέχρι πρὸϲ τ. Β. ὅρια
II 13 ἡ νίκη ϲὺν Ἀγηϲιλάῳ ἐγένετο	IV 3, 20 ἡ νίκη Ἀγηϲιλάου ἐγένετο
II 15 [cf. I 24] ἐδειπνοποιήϲαντο καὶ ἐκοιμήθηϲαν	IV 3, 21 δειπνοποιηϲάμενοι ἐκοιμ.
II 17 [3] τὰ ἐπὶ τὸ Λέχαιον τείνοντα τείχη	IV 4, 19 τὰ ἀνοικοδομηθέντα ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων τείχη (verba rerum conexui adcommodata sunt)

[1] μαϲτεύω apud Herodotum Thucydidem Platonem Isocratem Aristotelem non exstat.

[2] ϲέβω apud scriptores raro legitur (Memor. IV 4, 19 Thucyd. II 53 Plato legg. 647 A. 777 D).

[3] verba Κόρινθον δὲ προϲειληφόταϲ (quae in h. Gr. desunt) indicant scriptorem illorum temporum peritissimum.

Praeterea quattuor locis (I 32 II 2. 3. 12) in Agesilao ἕπεϲθαι vel ἐφέπεϲθαι, semel μείων (I 13), bis ἀμφὶ (II 3. 4) legimus, cum Hellenicorum contextus ἀκολουθεῖν (III 4, 24 IV 3, 3. 5. 19) ἐλάττων (III 4, 11) περὶ (IV 3, 6. 8) praebeat. An haec omnia casu facta esse putas? Minime vero. Xenopho postremis vitae annis historiam Graecam denuo tractans in eo quoque operam posuisse videtur, ut linguae Atticae sinceritatem recuperaret [1]. In Cyropaedia enim et Anabasi verbum ἀκολουθεῖν rarissime occurrit, saepissime ἕπεϲθαι [2], cum in Hellenicorum parte posteriore (V—VII) ἕπεϲθαι novem, ἀκολουθεῖν triginta sex locis legamus. Satis vero memorabile est Isocratem verbum ἕπεϲθαι omnino non adhibere. Idem de vocibus ἀμφὶ περί, ἐλάττων μείων dicendum est. ἀμφὶ in postremis historiae Graecae libris non saepe exstat, vocem μείων neque Thucydidis Isocratis Platonis scripta neque historiae Graecae libri postremi exhibent. Pro certo igitur licet adfirmare Agesilai contextum (capp. I. II) antiquiorem esse quam historiae Graecae. Quae cum ita sint, Agesilaus aut a Xenophonte scriptus est aut — duarum historiae Graecae editionum prior a rhetore quodam callido ad laudationem componendam adhibita est. Rosenstilius enim (l. c.) in ceterorum de Agesilao iudicio acquiescens sic ratiocinatur: quandoquidem laudatio Agesilai spuria est, contextus autem eius antiquior quam historiae Graecae, Hellenicorum illa pars bis edita sit necesse est; priorem quam statuit editionem res gestas usque ad Antalcidae pacem continuisse censet. Sed quamvis probabile mihi quoque sit historiae Graecae partem haud multo post pacem Antalcidae Scillunte a Xenophonte scriptam longeque alia forma, quam quae nobis tradita est, editam esse, tamen Rosenstilio non possum adsentiri quod sophistam quendam priore illa editione ad Agesilaum laudandum abusum esse censet. Ille quidem, ut sententiam suam firmaret, conatus est demonstrare encomii scriptorem inde a II 21 (i. e. post pacem Antalcidae historiam) Graecam prorsus ignorare.

Verba εὑρὼν δὲ ἀποτεταφρευμένα καὶ ἀπεϲταυρωμένα ἅπαντα (II 22 = Hell. V 4, 38) et ὑπερβὰϲ τὰ κατὰ Σκῶλον ϲταυρώματα (II 22 = Hell. V 4, 49) eam ob causam in Agesilao quoque legi putat, quod munitiones istae omnibus illorum temporum hominibus notissimae fuerint. Contradicere nolo, quamquam dubitari potest, num munitiones illae a. 378 factae etiam post Agesilai mortem tam notae fuerint neque omnino eva-

[1] uberius de hac re dixit Rosenstilius in dissertatione 'de Xenophontis historiae Graecae parte bis edita'. Jenae 1882.

[2] 90 : 9; 78 : 9.

nuerint. Illud vero Rosenstilius vix cuiquam persuadebit, verba εἰ δέ τις ἄλλῃ πῃ ταῦτα μέμφεται κ. τ. λ. (II 21) non referenda esse ad historiam Graecam (V 3, 16) πολλῶν δὲ λεγόντων Λακεδαιμονίων ὡς ὀλίγων ἕνεκεν ἀνθρώπων πόλει ἀπεχθάνοιντο πλέον πεντακισχιλίων κ. τ. λ. Utroque loco postquam de expeditione contra Phliasios dictum est, agitur de eo quod Agesilaus, ut paucis viris nobilibus gratificaretur, oppida eorum bello lacessere et Lacedaemonios defatigare numquam desinebat. In tempore praesenti (II 22 μέμφεται) vir doctus non debuit offendere, quoniam etiam post Agesilaum mortuum sine dubio fuerunt, qui ei illud crimini darent. Quid igitur? Num verisimile est eum, qui maximam laudationis partem a Xenophonte mutuari non dubitaret, enuntiatum illud de suo addidisse eo ipso loco quo Xenopho in Hellenicis? Non credo; aut laudator Xenophontis locum legit — et falsa est Rosenstilii sententia — aut Xenopho rerum conexus peritus Agesilaum ipse scripsit. Unus restat locus quo res etiam magis aperta fit.

Ages. II 20 μετὰ δὲ ταῦτα προθύμων ὄντων τῶν Ἀχαιῶν εἰς 'τὴν' συμμαχίαν καὶ δεομένων συστρατεύειν αὐτοῖς εἰς Ἀκαρνανίαν καὶ ἐπιθεμένων ἐν στενοῖς τῶν Ἀκαρνάνων, καταλαβὼν τοῖς ψιλοῖς τὰ ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτῶν μάχην συνάπτει καὶ πολλοὺς ἀποκτείνας αὐτῶν τρόπαιον ἐστήσατο, καὶ οὐ πρότερον ἔληξε πρὶν Ἀχαιοῖς μὲν φίλους ἐποίησεν Ἀκαρνᾶνας καὶ Αἰτωλοὺς καὶ Ἀργείους, ἑαυτῷ δὲ καὶ συμμάχους, de quo Rosenstilius sic disputat: voce τὴν evincitur laudatorem Xenophontem (IV 6, 1 sq.) legisse, etiamsi in proelio ipso describendo non Xenophontem sequitur, sed pugnam fingit quae in quavis regione montuosa fieri potest. Id quoque minime possum probare. Ut omittam quaerere, quo iure laudator ex Agesilai per Aetoliam itinere (Hell. IV 6, 14) concludere potuerit Aetolos cum Achaeis pacem fecisse, unde Argivos quoque ab Achaeis in amicitiam receptos esse sciverit, — quod summum est, nullam video causam qua commotus laudator usque ad hunc locum Xenophontem ad verbum fere secutus iam proelium cum Acarnanibus factum suis ipsius verbis iisque cum Xenophonte minime congruentibus descripserit. Contra si Xenophontem ea scripsisse existimaverimus, tota difficultas sublata est. Hic qui res gestas Agesilai etiam memoria teneret, triginta annis post proelium illud cum Acarnanibus factum non dubitavit summum periculum in quo Lacedaemonii olim versati erant, celare atque Agesilai neglegentiam obtegere. In historia enim Graeca colles ab Acarnanibus occupati a copiis selectis expugnantur [1], in laudatione colles ab hostibus temere neglecti a velitibus occupantur hostesque facile vincuntur [1]. Neque vero Xenophontis fides contemnenda est, quod historiam ad Agesilai gloriam augendam vitiaverit, sed semper memores simus aliud esse historiam scribere aliud rhetorum modo aliquem laudare.

[1] IV 6, 10 ἔθει μὲν τῶν ὁπλιτῶν τὰ πεντεκαίδεκα ἀφ' ἥβης.

§ 5. Xenophontem ipsum Agesilaum scripsisse demonstratur.

Duo loci ad Xenophontem optime possunt referri. Capite sexto (§ 6) ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὀλίγων εἰδότων πολλοῖς ἔξεστιν ἀπιστεῖν scriptor sese numerat in Agesilai amicissimis et capite secundo (§ 9) ἑώρων δὲ τάς τε φάλαγγας ἀλλήλων μάλα ἰσομάχους laudator pugnae ad Coroneam sese interfuisse narrat. Utrumque cadit in Xenophontem. Gravius etiam argumentum mihi videtur inesse cum in sententiis nonnullis per libellum dispersis tum in consilio totius laudationis. Adversarii cum in Agesilao nonnulla invenissent plane Xenophontea, non dubitaverunt contendere ceteros Xenophontis libros a laudatore compilatos esse. E. gr. enuntiatum [2] διμοιρίαν γε μὴν λαμβάνων ἐν ταῖς θοίναις οὐχ ὅπως ἀμφοτέραις ἐχρῆτο, ἀλλὰ διαπέμπων οὐδετέραν [3] αὑτῷ κατέλειπε κ. τ λ. (V 1) a laudatore sumptum esse dicunt ex libro de republica Lacedaemoniorum καὶ διμοιρίᾳ γε ἐπὶ τῷ δείπνῳ ἐτίμησεν, οὐχ ἵνα διπλάσια καταφάγοιεν, ἀλλ' ἵνα καὶ ἀπὸ τοῦδε τιμῆσαι ἔχοιεν εἴ τινα βούλοιντο (XV 4). An credi nullo modo potest Xenophontem unam sententiam duobus locis pronuntiavisse? Quid? quod eundem cenandi morem etiam a Cyro observatum esse fingit (Cyrop. VII 1, 1). Nos quandoquidem adversariorum argumentis examinatis nihil deprehendimus quo laudatio spuria declaretur, non mirabimur quod in libro a Xenophonte scripto Xenophontis sententias reperimus. Nonnulla eius modi liceat adferre: solum Lacedaemoniorum regnum rerum publicarum commutatione non est turbatum atque in longum aevum durabit (Ages. I 4 d. rep. Lac. XV 1), rex non opibus sed virtute civibus praestare, bonos beneficiis malos maleficiis vincere debet (Ages. VIII 4 Cyrop. I 6, 8 cf. Isocr.

[1] etiam verba προθύμων ὄντων .... συστρατεύειν cum rebus ipsis non consentiunt. Xenopho ipse nos docet Achaeos Lacedaemoniis denuntiavisse, si auxilio venire nollent, sese societatem diremturos esse.

[2] recte Dindorfius ad h. l. adnotavit, haec verba ad cenas publicas tantum referenda esse coll. Herod. VI 57.

[3] Stahl (Phil. Anz. XVI 42) coniecit οὐδ' ἑτέραν.

Dem. 26 — Ages. I 17 IV 2 Anab. I 9, 11 Cyrop. I 2, 7). Quanto opere autem cum Xenophontis ingenio congruat Agesilai fidem et iurisiurandi observantiam laudari, facile intelleget qui historiae Graecae partem posteriorem accuratius legerit. Laudes denique, quibus Agesilai virtutes scriptor effert plane philosophi modo, nonne in memoriam tibi revocant orationes illas satis multas et languidas quibus Cyropaedia referta est? Id autem quod totius dialogi propositum est cum Xenophontis agendi et scribendi principiis adeo congruit, ut argumentis sane gravissimis opus sit ad Agesilaum ei abiudicandum.

Capite decimo (§ 2) scriptor dilucidis verbis pronuntiat persuasum sibi esse Agesilai virtutem iis qui ἀνδραγαθίαν exercere velint semper egregium futurum esse exemplum. Nonne agnoscis Xenophontem? Hic Socratis Cyri Agesilai personas, quas ipse candida venerabatur admiratione, eo potissimum consilio libris suis expressit et delineavit, ut adolescentes in illorum mores se formarent [1]. Ipse urbem patriam, quam Pindarus olim ἔρειcμα τῆc Ἑλλάδοc vocaverat, bello Peloponnesiaco fractam viderat neque vel plebis vel eorum qui populi gratiam captarent dominationem Socratis disciplina imbutus, nobilitati favens umquam poterat amare. Itaque cum Proxenus eum invitavisset, ut Cyri expeditionis particeps fieret, libenter dicto audiens fuit. Cyri et Agesilai comes sodalisque factus Lacedaemoniorum mores et instituta in dies magis est admiratus et post pugnam ad Coroneam commissam exsilio multatus Lacedaemoniis totum se dedidit. Atque ut ingenue fatear, haud parva laude Xenopho dignus mihi videtur esse qui, cum multi de Graecorum rebus ordinandis desperassent novasque rei publicae formas scrutando [2] tempus perderent, ipse Socratis doctrinam cum Spartiatarum eruditione militari mixtam in usum publicum transferre ausus sit. Licet rerum eventus eum fefellerit, tamen haud scio an Graecorum commodis multo magis consuluerit quam Isocrates qui surdis auribus canendo prorsus nihil effecit.

Sed revertamur ad id unde profecti sumus. Veri est simillimum — ut Cyrus Cyropaedia et Socrates Memorabilibus — ita Agesilaum quoque singulari libello a Xenophonte celebratum esse. Nam cum hi-

---

[1] cf. Wilamowitzii de hac re verba in Isyllo Epid. 41 sq.

[2] cf. Isocr. Phil. 12 ἀλλ' ὁμοίωc οἱ τοιοῦτοι (loquitur περὶ τῶν ταῖc πανηγύρεcιν ἐνοχλούντων mira quadam in se ipsum ironia) τῶν λόγων ἄκυροι τυγχάνουcιν ὄντεc τοῖc νόμοιc καὶ ταῖc πολιτείαιc ταῖc ὑπὸ τῶν cοφιcτῶν γεγραμμέναιc.

storiae Graecae libris Agesilaus belli pacisque artibus princeps gloriam inmortalem consecutus esset, ad effigiem viri ab omni parte boni (καλοκἀγαθία) perficiendam mores quoque atque animi virtutes erant laudanda. Agesilao igitur mortuo cum multi ἐγκώμια et θρήνουc in eum composuissent, Xenopho ipse amico mortuo monumentum constituere non dubitavit.

Rationem denique qua factum sit, ut magna pars encomii cum historia Graeca ad verbum consentiat, hanc fuisse puto. Xenopho cum in Agesilai exercitu esset, commentarios conscripsit qui aucti atque elaborati historiae Graecae partem priorem (II 3, 10—V 1, 36. huc non faciunt I—II 3, 10) effecerunt [1]. Postea historiam usque ad annum 362 continuare constituit. Conscribebat igitur et retractabat Hellenicorum libros postremos, cum Agesilao mortuo aequalium consuetudinem observandam laudationemque componendam esse intellexit. Iam vero res gestas Agesilai usque ad annum 387 ex commentariis olim conscriptis hausit, quoniam illi nihil fere nisi Agesilai expeditiones et consilia continebant; nonnulla rhetorum modo exornavit [2]. Ea quae post illum annum facta erant ex memoria adiecit, praesertim cum Hellenicorum libri neque iam absoluti essent et variis degressionibus deformati. Qua sententia probata non iam mirabimur, quod etiam post a. 387 historiae scriptor cum laudatore consentit, quamquam diligentia et subtilitate ille huic antecedit (e. gr. conferatur gentium numerus Ag. II 24 cum Hell. VI 5, 23). Una restat quaestio quam diiudicare noluerim. Nemo facile concedet eum quem nos habemus Agesilai contextum a Xenophonte editum esse postquam historiae Graecae libri (III—V) in hanc formam redacti sunt. Ergo

---

[1] vides me quod cardinem rei adtinet cum Rosenstilio consentientem.

[2] haec additamenta demonstrativo dicendi genere conspicua saepius particula μὴν notata sunt. Notio huius vocis est ea ut 'praecedentibus aliquid adiungat sive in addendo novum membrum sive in demonstrando novum argumentum' (Hartm. p. 47). Abest in Xenophontis scriptis a simplici rerum gestarum narratione, cum in orationibus aliisque eius generis locis saepius occurrat. Causam vero cur μὴν omnium librorum plurimis locis in Agesilao exstet (quinquagies!), Frederking mihi videtur indicasse cum dicit (ann. phil. 1882. 535) frequentem particulae μὴν usum etiam in libris neglegenter compositis inveniri. Pars posterior (III—X) viginti sex locis μὴν exhibet — novem capitis XI locis omissis —, pars prior quindecim (I 3. 4. 5. 6. 9. 36. 37. II 8. 12. 14. 23. 24. 25. 26. 27). Memorabile vero est μὴν omnino non inveniri in iis quae ex commentariis translata sunt; contra nonnulla, postea contextui rhetorice inserta (II 12. 14), etiam particula μὴν conspicua esse.

aut historiae Graecae illa pars post Agesilaum editum demum retractata est aut Agesilaus a Xenophonte ipso non est foras datus. Mihi quidem adhuc verisimilius videtur esse laudationem a Xenophonte non esse editam, quoniam in dispositione haud pauca sunt vituperanda. E. gr. capite tertio quod est περὶ εὐϲεβείαϲ nonnisi sacramentorum foederumque observantia narratur. Dubitari quoque vix potest, quin Xenopho, si librum edidisset, verba illa quibus pugnae ad Coroneam commissae sese interfuisse ipse profitetur, deleturus fuerit. Causa cur laudationem non emiserit, haud scio an ea fuerit, quod post Agesilai mortem laudationum numerus tantus tantaque adulatione refertus prodiit, ut Xenopho in istorum numero haberi nollet[1].

De Anabasi et Cyropaedia.

Postquam de Agesilao satis disputavimus eo quidem eventu, ut iam sciamus libellum illum a Xenophonte scriptum eorum temporum consuetudini ab omni parte convenire, ad alia Xenophontis scripta transeamus. Variis enim modis ille vitarum descriptionem libris suis auspicatus est. In Agesilai laudatione Isocratem secutus ipse primus historiae quoque commentationes de singulorum vita et virtutibus inserere ausus est.

In Anabasi (I 9 II 6) cum Cyrum et Graecorum duces mortuos singularibus verbis describit, de unoquoque iustum facit iudicium forma usus rhetorica. Animi virtutes vel vitia in primis exponuntur, educationis

[1] Etiam capite undecimo videtur probari laudationem a Xenophonte ipso non esse editam. Quamvis enim multa Xenophontem in memoriam revocent (§ 5 κρυψίνουϲ coll. Cyrop. I 6, 27 — § 6 coll. Cyrop. I 6, 8 extr. — § 9 ἐπαινούμενοϲ γοῦν ἔχαιρε μᾶλλον ἢ χρήματα κτώμενοϲ coll. Cyrop. I 5, 12), tamen capite illo ea quae antecedunt non summatim referuntur (XI 1), sed amplificantur atque multa plane nova proferuntur. Praeterea decimo capite non solum consilium totius laudationis explicatur — quo liber optime concluditur — sed etiam Agesilai morte celebrata aptus fit totius libelli finis. Videtur igitur capite undecimo sicuti Cyropaediae capite ultimo et rei publicae Lacedaemoniorum paenultimo demonstrari, Xenophontem libris suis novas curas impendere voluisse. Iam vero cum ipse morte esset prohibitus quin totam laudationem retractaret, amicus eius Corinthi vel Phliunte natus retractationis illa lineamenta ἀνακεφαλαιώϲεωϲ forma usus una cum laudatione edidit.

ratio habetur (I 9, 2 sqq. II 6, 16 sqq.), neque desunt testimonia rhetorica (I 9, 29. 30). Cyrus ipse puer ϲωφροϲύνην adquirit, adolescens ἀνδρείαν exercet, satrapes factus ϲοφίᾳ et δικαιοϲύνῃ ceteris praestat. Ducis quoque uniuscuiusque imago tam accurate exprimitur, ut Proxeni ambitionem, Clearchi animum bellicum et superbum, Menonis dolosum nemo non memoria teneat. Primordia haec artis vitarum scribendarum eam ob causam haud parvi momenti esse mihi videntur, quod ex Xenophontis exemplo alii rerum scriptores utilitatem ceperunt. Ephorus, qui Socratis discipulum universali historia vincere studebat, Xenophontem ipsum secutus rerum gestarum conexui encomia inseruit.

Cyropaedia non est neglegenda propter formam qua composita est. Summum enim quo omnia tendunt non est accurata rerum a Cyro gestarum enarratio sed educationis Spartiatarum laudatio nec non disciplinae Socraticae ad regis ducisve munera adcommodatio. Quamquam igitur argumentum ipsum non est Cyri vitae descriptio neque dialogorum numerus satis magnus ad personarum mores delineandos multum confert, tamen a Cyri genere liber incipit et usque ad mortem eius certa ratione perducitur. Quae libri forma eo maioris est momenti, quod ante Xenophontem Cyri persona quasi alter Hercules ab Antisthene dialogis celebrata erat. Quodsi viri docti[1] Cyropaediam a libris historicis separandam esse censuerunt, paucis iuvat demonstrare eam iisdem conspicuam esse vitiis, quibus laudatio a rerum historia differt. Temporum ratio nullo modo observatur. Neque enim quisquam Xenophontem concedet scivisse, quot annos Cyrus in παίδων, προϲήβων, ἐφήβων numero institutus sit. Immo eandem fere puerorum educationem in libro de republica Lacedaemoniorum explicatam videbis: Cyrus videlicet ut homo Graecus Spartae educatus depingitur. Sed nonne in rerum gestarum narratione suus cuique facto constituitur dies? Constituitur, eo quidem consilio, ut accurata temporis definitio qualis in Cyri minoris expeditione exstat speciem praebeat narrationis ex optimis fontibus haustae. E. gr. Cyrus uno die in Chaldaeos proficitur, castellum in monte munit, Chaldaeorum captivos ut cum suis de pace deliberarent domos mittit, reversos in amicitiam et societatem recipit, legatos ad Indos mittit. Omnino verba τῇ δ' ὑϲτεραίᾳ tum maxime leguntur cum convivio aliquo facto vel alia occasione data vesperi mentio antecedit. Notatu vero dignum est fictam illam temporum definitionem non

[1] vide Aristidis rhetoris iudicium ap. Spengel. l. c. II 525 sq. Ceterum conferatur Bauer in actis acad. Vindob. 1882.

aut historiae Graecae illa pars post Agesilaum editum demum retractata est aut Agesilaus a Xenophonte ipso non est foras datus. Mihi quidem adhuc verisimilius videtur esse laudationem a Xenophonte non esse editam, quoniam in dispositione haud pauca sunt vituperanda. E. gr. capite tertio quod est περὶ εὐcεβείαc nonnisi sacramentorum foederumque observantia narratur. Dubitari quoque vix potest, quin Xenopho, si librum edidisset, verba illa quibus pugnae ad Coroneam commissae sese interfuisse ipse profitetur, deleturus fuerit. Causa cur laudationem non emiserit, haud scio an ea fuerit, quod post Agesilai mortem laudationum numerus tantus tantaque adulatione refertus prodiit, ut Xenopho in istorum numero haberi nollet[1].

De Anabasi et Cyropaedia.

Postquam de Agesilao satis disputavimus eo quidem eventu, ut iam sciamus libellum illum a Xenophonte scriptum eorum temporum consuetudini ab omni parte convenire, ad alia Xenophontis scripta transeamus. Variis enim modis ille vitarum descriptionem libris suis auspicatus est. In Agesilai laudatione Isocratem secutus ipse primus historiae quoque commentationes de singulorum vita et virtutibus inserere ausus est.

In Anabasi (I 9 II 6) cum Cyrum et Graecorum duces mortuos singularibus verbis describit, de unoquoque iustum facit iudicium forma usus rhetorica. Animi virtutes vel vitia in primis exponuntur, educationis

---

[1] Etiam capite undecimo videtur probari laudationem a Xenophonte ipso non esse editam. Quamvis enim multa Xenophontem in memoriam revocent (§ 5 κρυψίνουc coll. Cyrop. I 6, 27 — § 6 coll. Cyrop. I 6, 8 extr. — § 9 ἐπαινούμενοc γοῦν ἔχαιρε μᾶλλον ἢ χρήματα κτώμενοc coll. Cyrop. I 5, 12), tamen capite illo ea quae antecedunt non summatim referuntur (XI 1), sed amplificantur atque multa plane nova proferuntur. Praeterea decimo capite non solum consilium totius laudationis explicatur — quo liber optime concluditur — sed etiam Agesilai morte celebrata aptus fit totius libelli finis. Videtur igitur capite undecimo sicuti Cyropaediae capite ultimo et rei publicae Lacedaemoniorum paenultimo demonstrari, Xenophontem libris suis novas curas impendere voluisse. Iam vero cum ipse morte esset prohibitus quin totam laudationem retractaret, amicus eius Corinthi vel Phliunte natus retractationis illa lineamenta ἀνακεφαλαιώcεωc forma usus una cum laudatione edidit.

ratio habetur (I 9, 2 sqq. II 6, 16 sqq.), neque desunt testimonia rhetorica (I 9, 29. 30). Cyrus ipse puer cωφροcύνην adquirit, adolescens ἀνδρείαν exercet, satrapes factus cοφίᾳ et δικαιοcύνῃ ceteris praestat. Ducis quoque uniuscuiusque imago tam accurate exprimitur, ut Proxeni ambitionem, Clearchi animum bellicum et superbum, Menonis dolosum nemo non memoria teneat. Primordia haec artis vitarum scribendarum eam ob causam haud parvi momenti esse mihi videntur, quod ex Xenophontis exemplo alii rerum scriptores utilitatem ceperunt. Ephorus, qui Socratis discipulum universali historia vincere studebat, Xenophontem ipsum secutus rerum gestarum conexui encomia inseruit.

Cyropaedia non est neglegenda propter formam qua composita est. Summum enim quo omnia tendunt non est accurata rerum a Cyro gestarum enarratio sed educationis Spartiatarum laudatio nec non disciplinae Socraticae ad regis ducisve munera adcommodatio. Quamquam igitur argumentum ipsum non est Cyri vitae descriptio neque dialogorum numerus satis magnus ad personarum mores delineandos multum confert, tamen a Cyri genere liber incipit et usque ad mortem eius certa ratione perducitur. Quae libri forma eo maioris est momenti, quod ante Xenophontem Cyri persona quasi alter Hercules ab Antisthene dialogis celebrata erat. Quodsi viri docti[1] Cyropaediam a libris historicis separandam esse censuerunt, paucis iuvat demonstrare eam iisdem conspicuam esse vitiis, quibus laudatio a rerum historia differt. Temporum ratio nullo modo observatur. Neque enim quisquam Xenophontem concedet scivisse, quot annos Cyrus in παίδων, προcήβων, ἐφήβων numero institutus sit. Immo eandem fere puerorum educationem in libro de republica Lacedaemoniorum explicatam videbis: Cyrus videlicet ut homo Graecus Spartae educatus depingitur. Sed nonne in rerum gestarum narratione suus cuique facto constituitur dies? Constituitur, eo quidem consilio, ut accurata temporis definitio qualis in Cyri minoris expeditione exstat speciem praebeat narrationis ex optimis fontibus haustae. E. gr. Cyrus uno die in Chaldaeos profiscitur, castellum in monte munit, Chaldaeorum captivos ut cum suis de pace deliberarent domos mittit, reversos in amicitiam et societatem recipit, legatos ad Indos mittit. Omnino verba τῇ δ' ὑcτεραίᾳ tum maxime leguntur cum convivio aliquo facto vel alia occasione data vesperi mentio antecedit. Notatu vero dignum est fictam illam temporum definitionem non

---

[1] vide Aristidis rhetoris iudicium ap. Spengel. l. c. II 525 sq. Ceterum conferatur Bauer in actis acad. Vindob. 1882.

inveniri libro sexto qui est de rebus magis notis, Cyri cum Croeso bello. Alterum laudationum indicium exstat hoc: ut in Agesilao ea quae omnes Spartiatae fecerunt illi soli tribuuntur[1], ita Bauer (l. c.) ex nonnullis locis Cyropaediae et Cyri expeditionis communibus demonstravit non solum Cyri maioris temporibus ea esse adscripta quae Xenopho a. 401 ipse cognovisset commentariisque descripsisset, sed etiam totam morum descriptionem a Cyro minore (Anab. I 9) in maiorem esse translatam. Praeterea scriptor auctores Persarum rebus faventes secutus Cambysis in Aegyptum expeditionem Cyro adsignare non dubitavit. Sed eius studium etiam clarius cognosci potest. Praeceptum enim illud rhetoricum quod iam supra demonstravimus — ut qui laudetur non modo non malus describatur sed ab omni parte bonus — ita adhibuit, ut cum duplex esset memoria[2] de Medorum regno in Persas translato eos sequeretur (VIII 5), qui Cyrum Cyaxaris filiam in matrimonium duxisse et Mediam dotis loco accepisse traderent. Nimirum ad effigiem imperii iusti scribendam non aptum erat a regno avo erepto narrationis initium facere. Similem ob causam et Xenopho bellum cum Acarnanibus factum falso narravit (Ages. II 20) et Isocrates cladem navalem ab Euagora acceptam silentio praetermisit (Euag. § 62).

Haec fere sunt quae Xenopho de regum vel ducum vitis memoriae tradidit. Socratis ἀπομνημονεύματα ex memoria, ut videtur, conscripta quamquam ad nos nihil adtinent tamen commemorare velim. Eo enim quod philosophandi facultate non admodum praeditus Socratis magis mores et religionem quam philosophiam descripsit fabularumque iucunditatem cum aequalium notationibus scite coniunxit, formam praebuit posteris quae certa ratione et dispositione carens facile legentes ad novas narratiunculas et facete dicta excogitanda librisque genuinis inserenda pelliceret.

Iam vero priusquam Xenophontem dimittimus, pauca velim monere. Qualecumque de singulis scriptis iudicium feres, ea quidem laude nemo Xenophontem fraudabit, quod artem vitas conscribendi vario modo excoluerit atque auspicatus sit. Si quidem nos ipsi historici esse iudica-

[1] Ages. II 17 init. II 24 (coll. Hell. IV 4, 19. VI 5, 27 sqq.).

[2] Medorum regnum a Persis bello subactum esse referunt annales Nabûnâhidi (Bauer l. c. 499) Herodotus I 127 sqq. Ctesias ap. Nicol. Damasc. 66. Xenoph. Anab. I 9, 1. Menexen. 239 D. legg. 694 A. Iulian. enc. Const. 41 C. Isocr. Euag. 37. Ex Isocratis loco haud scio an concludi liceat eum, cum Euagoram scriberet, Cyropaediam ignoravisse. Si quidem rhetorum modo Cyri gloriam voluit minuere, Cyropaediam secutus id quod voluit etiam facilius poterat adsequi.

mus non tam laudes viri canere quam historiae fidem omnibus auctoritatibus omissis observare, nostrum est Xenophontem non in ius vocare, quod in Agesilai laudibus nimius fuerit, sed saeculi rationem habere quo Isocratis discipuli historiam moderabantur.

De historicorum studiis biographicis.

Ars biographorum prospera fortuna usa est, quod duae vitarum descriptiones servantur ex illis temporibus cum Graeci nondum in Macedonum dicionem erant redacti. Sed libertate publica amissa ars illa etiam laetius effloruit. Iam ineunte saeculo quarto philosophi et rerum scriptores principum aulas adierant: Plato ter Syracusas iter fecit, Isocrates Philippum orationibus et epistulis oravit atque obsecravit, ut Graecorum discordiis compositis commune in Persas bellum susciperet. Neuter quidquam effecit. Sunt sane compositae Graecorum discordiae, sed longe alio modo atque Isocrates speraverat, cuius animum probum et orationem tumidam callidus ille rex sine dubio inridebat. Laudationum vero vel vitarum aetatis Macedonicae cum nulla servetur, historiam ipsam magna ex parte vitarum descriptiones continuisse etiam nunc possumus robare. Iam Ephorus Xenophontis, ut videtur, exemplum secutus singulorum virorum encomia narrationi interposuit. Apud Diodorum enim libris XI—XV, quos alias quoque ob causas viri docti Ephoro vindicaverunt, laudationes nonnullae vel vituperationes[1] exstant; eas non a Diodoro additas esse vel inde adparet, quod (XV 88) verba ἡμεῖϲ δὲ εἰωθότεϲ ταῖϲ τῶν ἀνδρῶν τελευταῖϲ τὸν ἴδιον ἔπαινον ἐπιλέγειν ex fonte stulte transscripsit[2]: leguntur enim encomia illa nonnisi his libris. Accedit quod non solum dictio et sententiae Isocratem in memoriam revocant[3], sed etiam Polybius (XII 27) παρεκβάϲειϲ[4] illas et λόγουϲ ἐπιμε-

[1] XI 11. 46. 58 sq. XV 39. 81. 88. Fragmento libri decimi (IV 58 Wess.) ὅτι τῶν προγεγονότων ἀνδρῶν ἡ τῶν βίων ἀναγραφὴ . . . . . τοὺϲ μὲν ἀγαθοὺϲ κοϲμεῖ, τοὺϲ δὲ πονηροὺϲ ταπεινοῖ διὰ τῶν οἰκείων ἑκάϲτοιϲ ἐγκωμίων τε καὶ ψόγων Ephorus encomio alicui praefatus videtur esse.

[2] idem factum est XI 46.

[3] XI 11 καὶ μᾶλλον εἵλοντο τελευτᾶν καλῶϲ ἢ ζῆν αἰϲχρῶϲ cf. Isocr. πρ. Νικ. 36. Paneg. 95. Phil. 47. Helena 53.

[4] notio vocis perspicitur ex Polyb. XXII 16. Diod. XI 59.

τροῦντας in Ephoro maxime laudat. Etiam magis vitae ac morum descriptioni operam dedit Theopompus. Rhetorum artis tam peritus, ut Mausoli encomio [1] praemium ab Artemisia propositum acciperet, splendidissimas de Philippi eiusque amicorum moribus narrationes memoriae tradidit (v. Polyb. VIII 11) et Lysandrum a multis infamatum laudibus extulit [2]. Cum vero Alexander Persarum regnum sub Macedonum et Graecorum imperium redegisset, tota fere historia in unius viri res gestas et virtutes celebrandas incubuit. Neque iam cuiquam indignationem movit, cum Hyperides in epitaphio non minus Leosthenis ducis quam militum virtutem laudaret. Quo modo vel Alexander a scriptoribus descriptus sit vel Athanis Callias Antandros Timaeus Duris tyrannorum Siculorum res gestas et mores delineaverint ad nostrum propositum minus pertinet. Ad rhetorum vero studia cognoscenda — a quibus solis virorum de rebus publicis merita seorsim tractata sunt — maioris momenti est paucis adtingere, quid Peripatetici in personarum descriptione novaverint.

E. Petersen in praefatione ad Theophrasti characteres (pg. 92 sqq.) diligentissime de Peripateticorum illis studiis disseruit. Qui cum 'externas condiciones et historias' animalium essent perscrutati, etiam internam eorum naturam mira quadam curiositate perspicere coeperunt. Ita novum exstitit genus vitarum scribendarum. Isocrates olim et Xenopho ex singulis rebus gestis animi indolem et naturam virorum aestimabant neque minutiora curabant. Peripatetici autem cum homines tales describere studerent, quales vita cotidiana se gererent, et mores magis singulos quam res gestas observarent, fabellas captabant atque malignitate saepius quam benevolentia ducti multis viris clarissimis labeculas adspergebant. Aristoxenus et Hieronymus poëtarum philosophorum, Duris Samius Periclis Demetrii imagines improbis et anilibus fabellis deformaverunt. Quid mirum igitur, quod et imperatorum ducumque biographi labe illa inficiebantur? Etiamsi enim illi commentariorum forma vitas scribere solerent, hi laudationum forma uterentur, tamen rhetoribus quoque saepius occasio dabatur fabularum vel facete dictorum narrandorum. Quoniam vero non nisi Neanthem Cyzicenum rhetorem (περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν) et Satyrum peripateticum (βίοι ἐνδόξων ἀνδρῶν) etiam de ducibus ac

[1] cf. Gell. X 18, 6. Philippi et Alexandri encomia a Theone citata fortasse pars fuerunt Philippicorum, quam iam Isocrates (Phil. § 17) prodituram esse dicit. — Singulares Philippi et Alexandri laudationes scripsit Lamachus (Plut. Dem. 9).

[2] Athen. XII p. 543 B. C. Plut. Lys. 30.

principibus rerum publicarum seorsim scripsisse scimus neque ex paucis illorum fragmentis gravius quidquam enucleari potest, ad eos confugiendum est auctores qui postea vitas scripserunt. Nepotis igitur vitis perlustratis fontes quales fuerint indagemus.

De Cornelii Nepotis fontibus.

Constat inter omnes in Nepotis vitis sexcenta inveniri errata et peccata, quae Nipperdeius aliorum auctorum testimoniis conlatis summa diligentia adnotavit. Itaque viri docti propter levitatem Nepoti fidem habendam esse negaverunt. Concedo; quamquam dubito an Nepoti non tota culpa adsignanda sit. Mea quidem sententia etiam fontes Nepotis in crimen vocandi sunt. Scriptor qui tanta festinatione scriberet, ut praefationem satis exilem magnitudine voluminis prohibitus abrumperet atque, cum Iphicratem Chabriam Timotheum extremam dixisset aetatem imperatorum Atheniensium, brevi post etiam Phocionis vitam narraret [1], poterat sane ne dicam debebat multa peccare, sed ad nova fingenda et multorum scriptorum narrationes inmutandas tempus eum deficiebat. Quid igitur? Num Thucydidem Ephorum Theopompum, quos vulgo Nepotem secutum esse putant, illa admisse credamus? Minime vero; nam Nepos eos omnino non inspexit. Scio me multorum virorum doctorum iudiciis prorsus contradicere, nec vero argumentis destitutus hanc sententiam pronuntio.

In vita Themistoclis (IX) Nepos litteras eius ad Xerxem missas ad verbum ex Thucydide hausit. Sed ut minutiora omittam, enuntiatum illud 'quam si ero ...... expertus est' apud Thucydidem omnino non exstat. Tum in fine capitis decimi offendo, quod Thucydides neque ossa eius clam in Attica sepulta esse contendit [2] neque 'de Graecia opprimenda' Themistoclem quidquam pollicitum esse tradit. Verus ille rerum scriptor incerta omittere quam falsa promulgare maluit. Praeterea quod Thucydidis nomen hoc loco adfertur nihil valet. Scimus enim ex Cicerone (Brut. XI 42) illam fabulam omnibus notissimam fuisse, et Thucydidis verba Stratoclis Clitarchi aliorumque narratiunculis anteposita esse. In Iphicratis vita (III 2) Theopompo adscribuntur quae ille non de Iphi-

[1] cf. etiam Nipp. ad vit. Pausan. I 3.

[2] Thucydides tradit cognatos eius illud narravisse.

crate sed Chabria dixit (cf. Nipp. ad h. l.). Iam si concesseris eo loco Nepotem Theopompi verba alii cuidam auctori debere, verisimile est etiam in Chabriae vita, in qua multa sunt Theopompi (III 2 sqq. = Theop. ap. Athen. XII p. 532 B.), Nepotem historicum illum ipsum non adhibuisse. Haec argumenta quoniam inpugnari possunt, ad graviora transeo.

Nepotis vitae rhetorem sapiunt, non rerum scriptorem. Multa reperias αὐξήσεως exempla [1], is de quo verba fiunt omnibus ducibus antefertur, cum eius factis res ab aliis gestae non possunt comparari [2]. Quae cum a Nipperdeio (praef. XXXI) Nepoti tribuantur, mihi non minus quam tota de unoquoque iudicia etiam fontium genus et studium videntur indicare. Omnes enim quorum vita narratur aut boni aut mali depinguntur. Probitas illa Nepotis ubi est in Lacedaemoniorum vitis? Pausaniae virtus bellica paucis tantum adtingitur, Lysandri (Lys. I 2) omnino negatur, utriusque maleficia large exponuntur. Agesilaus denique quod integro iudicio describitur, non nisi Xenophontis laudatione factum est. Cum vero Nepos non haberet cur Athenienses Lacedaemoniis anteferret, hoc quoque ad fontes eius referendum est.

Transeo ad dictionem. Si quidem iam supra demonstravimus proprium esse rhetorum rem altero loco laudatam altero reprehendere, etiam in Nepotis vitis rhetores deprehendimus. In Timothei vita (I 3) Agesilaus illi postponitur quod pecuniam ab Ariobazarne acceperit, cum ille cives suos agro et urbibus augere maluerit; contra in Agesilao (VII 2) Laco laudatur quod pecunia illa patriam sublevaverit. Simili modo nunc Iphicrates (Iph. II 5) nunc Agesilaus (VI 1) propter Spartam a Thebanorum impetu servatam laudatur. Quid? quod in Epaminonda (V 6) etiam tritam illam rhetorum sententiam invenimus (v. supra p. 11) 'ille cum universa Graecia vix decem annis unam cepit urbem; ego contra ea una urbe nostra dieque uno totam Graeciam ... liberavi'. Eiusdem generis auctorum est vox communitas (Milt. VIII 4 = comitas). Ut enim vox 'communis' notione 'comis' saepius apud Ciceronem legitur, ita 'communitas' nusquam exstat; Graecorum vero κοινότης hoc sensu in primis a laudatoribus videtur adhibita esse (cf. Aristid. Panath. I 159. 177 Dind.).

---

[1] Milt. III 1 VII 1 (plerasque) Them. V 3 VI 5 (sive sacer) X 1 Arist. II 1 (exercitus interfectus est) Cimo IV 3 Paus. I 3 barbaros esse deletos) Cono IV 4 (cuncta Graecia) Epam. VIII 3 al.

[2] Milt. I 1 (= Cimo III. 1) V 5. Them. II 1. 4. Alcib. VI 3 (coll. Thucyd. IV 121 et Plut. Pericl. 28). Thrasyb. I 3.

Etiam fabularum captatio fontes indicat inferiorum temporum. Singulari quadam curiositate plurimorum virorum mortes uberius quam verius narrantur [1]. E. gr. Nepos aeque ac Cicero (de rep. I 3) dicunt Miltiadem vulneratum in vinclis diem supremum obiisse, cum Herodotus Miltiadem non nisi vulnere confectum mortuum esse tradat. Hae narratiunculae ex talibus libris videntur haustae esse quales fuerunt Anaximenis rhetoris βασιλέων μεταλλαγαὶ et Phaniae Eresii τυράννων ἀναιρέσεις ἐκ τιμωρίας. — Unum largius exponere liceat quo studia illorum virorum etiam clarius cognosci possunt. Bernaysius (Phocio 128) egregie demonstravit Phocionis paupertatem cuius Nepos mentionem facit [2] in rhetorum scholis fictam traditamque esse. Idem de Cimonis paupertate dicendum est; nam neque Cimo aut pauper erat (cf. Herod. VI 136 Aristid. II 203 Dind.) aut Atheniensium legibus propter pecuniam a patre non solutam custodia teneri poterat [3] neque Elpinice soror Calliae nupsit. Huius fabulae auctores quinam fuerint et scholiasta Aristidis et Tzetzes nos docent. Ille (pg. 515) enim Cimonis cum Elpinice sorore stuprum a comicis promulgatum esse tradit et Ephori testimonium adfert qui Cimonem divitem quandam virginem in matrimonium duxisse tradiderit, hic (Hist. I 22) auctores fabulae nominat 'comicos rhetores Diodorum alios'. Libanii igitur verbis (IV 335 R. argumentum proponitur: ὁ Κίμων αἰτῶν ὑπὲρ τοῦ πατρὸς δεθῆναι) [4] non opus est ad hanc fabulam rhetorum scholis adtribuendam. Ut Phylarchus Mantineae expugnationem depingens tragicorum fere modo legentibus misericordiam concitare studuit (cf. Polyb. II 56) ita rhetores inde a tertio saeculo divitum pauperumque typos, ut ita dicam, expresserunt et de viris ab historicis laudatis declamare coeperunt [5]. Quanto opere studuerint magnorum virorum liberos miseros fingere ex Ciceronis loco cognoscere licet. Fabulabantur enim Themistoclem diviti cuidam viro generum divitem quaerenti suasisse ne argentum viro egens sed virum argento egentem investigaret; quod cum

---

[1] Milt. VII 5. 6. Them. X 4. Paus. IV sq. Alcib. X. Cono V. Dio VII—X. Chabrias IV. Datam. X. Epam. IX. Eum. XI sq. Phocio IV.

[2] vita Phoc. I.

[3] Plutarchus nihil habet de Cimonis custodia; contra Valerius Maximus (241. 242. 248 Halm) similes ac Nepos fontes secutus Miltiadem et Cimonem in vinclis fuisse narrat.

[4] similiter Nicol. προγ. 390 W: τίνας ἂν εἴποι λόγους Κίμων Μιλτιάδου τοῦ πατρὸς ἐν δεσμοῖς τελευτήσαντος.

[5] Blass. griech. Bereds. v. Alex. b. Aug. — Philostr. v. soph. II 2 Kays.

ille probavisset, Themistoclem eum monuisse, ut filiam Cimoni collocaret; sic Cimonem divitem factum vinclis liberatum esse[1]. Iam vero personis mutatis rhetores, qui Themistoclem adolescentem a patre exheredatum esse dicerent (Nep. Them. I 2), etiam liberos eius eguisse declamaverunt[2]. His sufficit opponere statuam aëneam Dianae a liberis Themistoclis dedicatam esse et usque ad Plutarchi tempora eis Magnesiae privilegia servata esse[3].

Si quidem iam probabile est rhetorum maxime scripta a Nepote adhibita esse, vix opus est nomina ipsa indagare. Neanthis Cyziceni libros Nepos vel potius eius auctor inspexit, cum Themistoclis matrem Halicarnassiam civem dicit[4]. In eadem vita nonnulla ad Aeschinis orationem (III 178. 186 = Milt. VI 2. 3) referenda esse iam Nipperdeius adnotavit. In Timotheo autem Nepotis auctores etiam Isocratem adhibuerunt:

Isocr. π. ἀντιδ. 107 sqq.	vita Timothei
111. ἐπὶ Σάμον στρατεύσας, ἣν Περικλῆς .... ἀπὸ διακοσίων νεῶν[5] καὶ χιλίων ταλάντων κατεπολέμησε, ταύτην οὔτε πλέον οὔτε ἔλαττον λαβὼν ... ἐξεπολιόρκησε κ. τ. λ.	I 2. Samum cepit; in quo oppugnando superiori bello Athenienses mille et CC talenta consumpserant, id ille sine ulla publica impensa populo restituit.
112. ἐντεῦθεν ἀποπλεύσας Σηστὸν καὶ Κριθώτην ἔλαβε.	I 3. Itaque accepit Crithotem et Sestum.
109. εἰς μὲν τὸν περίπλουν τὸν περὶ Πελοπόννησον ... Κορκύραν εἷλε ... καὶ περὶ τὸν αὐτὸν χρόνον Λακεδαιμονίους ἐνίκησεν ναυμαχῶν,	II 1. circumvehens Peloponnesum Laconicam populatus classem eorum fugavit, Corcyram sub imperium Atheniensium redegit.
καὶ ταύτην αὐτοὺς ἠνάγκασε συνθέσθαι τὴν εἰρήνην, ἣ τοσαύτην μεταβολὴν ἐποίησεν, ὥσθ' ἡμᾶς μὲν ἀπ' ἐκείνης τῆς ἡμέρας θύειν αὐτῇ καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτόν κ. τ. λ.	II 3. quae victoria tantae fuit Atticis laetitiae, ut tum primum arae Paci publice sint factae eique deae pulvinar sit institutum.

---

[1] Diodor. X fr. 31 Dind. Valerius Maximus 334 Halm.

[2] Cicero ad Brut. IX 15. — Apud Stobaeum (III 138 Mein.) Themistocles ipse filiae virum argento egentem quaerit; idem fere de Pericle ib. III 33.

[3] Pausan. I 26, 4. — Plut. Them. extr.

[4] id quod primus Neanthes narravit cf. Plut. Them. I.

[5] νεῶν καὶ deest in uno codice; Orellius olim proposuit διακοσ. κ. χιλ. ταλ. Diodorus XII 28 de ducentis talentis verba facit. Verum enucleari nequit.

Quodsi in Alcibiade (XI) Nepos plura habet quam Satyrus[1] eaque temporum ordine disposita, diiudicare nolo utrum Nepos ipse auctorem adhibuerit Satyro antiquiorem an alium quendam, qui fontem illum accuratius quam Satyrus excerpserit.

Postremo loco pauca de vita Epaminondae adiungam. In ceteris enim vitis cum nesciamus, quid Nepotis fontes, quid ipse omiserit vel peccaverit, Epaminondae vitam accuratius sese describere velle ipse profitetur et dispositionem praemittit (I 3 sq.) ‘quare dicemus primum de genere eius, deinde quibus disciplinis et a quibus sit eruditus; tum de moribus ingeniique facultatibus et si qua alia memoria digna erunt; postremo de rebus gestis quae a plurimis animi anteponuntur virtutibus’. Quibus verbis intellegitur Nepotem, cum ceteras vitas aeque ac Xenophontis Agesilaum dispositas vidisset, iam auctoris exemplo alio ordine uti velle. Nipperdeius autem Nepotem reprehendit, quod factorum narrationem omnino omiserit Itane est? Non credo. Is quem Nepos secutus est scriptor vitam sic disposuit ut supra Ciceronem (de orat. 345: res gestae ad cuiusque virtutis genus et vim et nomen adcommodabuntur) et Quintilianum praecepisse demonstravimus. Nepos vero in rhetorum praeceptis non versatus id tantum intellexit, res gestas magna ex parte in fine vitae positas esse. Ad fontem ipsum cognoscendum multum valet, quod duobus capitibus (VII. VIII) nihil nisi tritissima quaedam rhetorum causa[2] et insequenti Epaminondae mors cuivis homini litterato nota[3] narrantur; exstant etiam duo τεκμήρια[4]. Capitis decimi narratiunculae tres ex alio auctore qui Ephorum[5] descripsit et inmutavit additae sunt; nam X 1 et V 5 duae sunt de eadem re fabellae simillimae. Utroque loco Epaminondas quod caelebs sit perstringitur, is qui rogat altero uxorem altero filium infamem habet. — Sed iam satis de his! Epaminondae vita nihil est nisi laudatio a rhetore quodam Graeco confecta, quos talibus rebus magnam operam dedisse notum est. Epitaphiorum numerum magnum ferri [Dionysius] in arte rhetorica (VI) tradit et Polybius iam Timaeum reprehendit, quod in virorum Siculorum laudibus puerorum exempla imitetur in scholis laudationes vel vituperationes

---

[1] ap. Athen. XII p. 534 B.

[2] cf. Cicero de invent. I 33, 55. 38, 69.

[3] Cicero de fin. II 30, 97.

[4] IV 6. VII 1.

[5] X 1. 2 = Diod. XV 87. X 4 = Diod. XV 88 τοιγαροῦν ἡ πατρὶς αὐτοῦ κ. τ. λ.

declamantium. Ne longus sim Nepotis fontes tales fuisse puto quales etiam Cicero novisse et adhibuisse videtur. Dicit enim (de orat. II 84, 341): 'ipsi enim Graeci magis legendi et delectationis aut hominis cuiusdam ornandi quam utilitatis forensis causa laudationes scriptitaverunt; quorum sunt libri quibus Themistocles Aristides Agesilaus Epaminondas Philippus Alexander aliique laudantur' e. q. s. Nepos autem id fere fecisse putandus est, quod Suetonius (de rhetor. 1) discipulos in scholis discere tradit 'interdum Graecorum scripta convertere ac viros inlustres laudare vel vituperare'. Omnino Nepotis sententia historia ab eloquentia non debet separari, id quod ipse in libro de historicis Latinis (fr. 26 Halm) Ciceronem laudans pronuntiat, qui unus 'potuerit et etiam debuerit histotiam digna voce pronuntiare, quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philosophiam ante eum incomptam Latinam sua conformaverit oratione'. Praeterea alii sunt adhibiti, qui vel virorum inlustrium vitas tradebant sicuti Satyrus vel notabilia excerpserant (e. gr. Epam, X) [1]. Sic factum est, ut multis locis Polyaenus [2] et Frontinus (Them. I 1, 10. 2, 14. 6, 8) idem traderent atque Nepos. Neque iam mirabimur, quod Arati Cleomenis Philopoemenis vitas apud Nepotem non legimus [3]: scilicet rhetores illi etiam inferiorum temporum eos tantum viros laudabant qui cum Graecia libera esset florerent, Cleomenem vero aliosque non dignos habebant qui cum Miltiade Themistocle compararentur. E Graecis vero Athenienses Lacedaemoniis necessario anteponebantur ab iis, qui aut Athenis declamabant aut in scholis Asiaticis Isocratem Lysiam Demosthenem imitabantur atque Athenas 'τὸ ἄϲτυ' κατ' ἐξοχὴν adpellabant [4]. De Nepote vero ut iustum iudicium faciamus, non est neglegendum Romanos iam ante eum demonstrativum genus dicendi in usum publicum transtulisse. Cicero cum commentarium consulatus ad Atticum mittit (ad Att. I 19, 10) singularibus verbis declarat non esse ἐγκωμιαϲτικὰ sed ἱϲτορικὰ quae scripserit. Idem laudes Caesaris Porciae Catonis composuit, Caesar Hirtium ut Catonem vituperaret adhortatus ipse duos Anticatones foras dedit; quorum exemplum magnus numerus virorum in rebus publicis versantium

---

[1] Frontin. praef. — haec quoque studia Peripatetici auspicati esse videntur cf. Theophrasti 'πολιτικὰ τὰ πρὸϲ τοὺϲ καιρούϲ'.

[2] ed. Melber p. 30. 31. 32. 33. 52. 63. 65. 204. 206. 335. 336.

[3] Etiam Valerius Maximus, Frontinus, Aelianus illos ignorant. Polyaenus pauca habet de Arato et Philopoemene.

[4] Nep. Them. IV 1. Alcib. VI 4 coll. Isocr. π. ἀντιδ. 299.

secutus est [1]. Hi omnes licet multa mutaverint, tamen in universum Graecorum praecepta videntur observavisse. Scimus enim etiam Graecos Romanorum laudationes scripsisse veluti Potamo et Bruti et Caesaris encomion composuit [2].

Neque vero huius loci est omnium qui per totam antiquitatem imperatorum vel ducum vitas scripserunt libros pertractare. Conatus sum demonstrare totam hanc artis biographicae partem inde ab Isocrate eiusque discipulis in rhetorum maxime scholis floruisse neque umquam rhetorum praecepta repudiare potuisse. Quodsi Polybius, pragmaticus ille historicus, Philopoemenis vitam ἐγκωμιαϲτικῶϲ composuit, — genere educatione moribus largius expositis, rebus gestis summatim neque sine amplificatione laudatis (Polyb. X 21) — haud difficile est ad perspiciendum, quo modo rhetores ipsi talia tractaverint. Summa igitur laude dignus est Plutarchus quippe qui, licet ipse fabellis abstinere non potuerit, tamen probo animo multorum errata et maledicta refutare multisque locis optimorum scriptorum auctoritates restituere conatus sit.

---

[1] v. Schäfer Quellenk.[2] p. 77.

[2] Suidas s. v.

Sententiae controversae.

I. In titulo Graeco (Dittenb. syll. 20) verba [πόλεc ʽὰc ἔτ]αχcαν ʽοι τάκται.... ο γραμματεύοντοc ita sunt intellegenda, ut Callipolitani Sartei Amorgii privilegium quod ante habuerant — tributorum summam suo arbitrio constituendi (cf. Dittenb. l. c. 16. 17) — amiserint. Itaque censitores, qui minorem summam ab eis constitutam esse animadvertissent, singulari actione (alio scribente) oppida illa censuerunt.

II. Homines illi privati in titulis nonnullis Atticis (Dittenb. l. c. 16. 17. 18 πόλεc ʽὰc ʽοι ἰδιῶται ἐνέγραφcαν φόρον φέρεν) sunt πρόξενοι oppidorum subscriptorum Athenis versantes; proprium enim est προξένων quod privati non magistratus in neutra civitate sunt.

III. Plato Hipp. mai. 284 D lege: καὶ ἄνευ τούτου μετὰ ὁμονοίας ἀδύνατον οἰκεῖν; (cod. T ἐν ἄνομίας W ἀνομίας)

IV. Plato Hipp. min. 368 C καὶ ὅ γε πᾶcιν ἔδοξεν ἀτοπώτατον καὶ cοφίας πλείcτης ἐπίδειγμα, ἐπειδὴ τὴν ζώνην ἔφηcθα τοῦ χιτωνίcκου, ἣν εἶχεc, εἶναι μὲν οἷαι αἱ Περcικαὶ τῶν πολυτελῶν, ταύτην δὲ αὐτὸc πλέξαι vox ἐπειδὴ delenda est utpote ex ἐπίδειγμα orta.

V. Ephori historiae post Thebas ab Alexandro dirutas demum editae sunt cf. Diod. XV 88.

VI. Aristotelis ἀνατομαὶ erant corporum sectorum picturae difficilibus tantum locis in margine subiectae; mox omnes corporis partes amplexae seorsim editae sunt.

VII. In titulo C. I. L. X 1284 vox Pudens cognomen est.

VIII. Ad detestationem tituli C. I. L. X 511 recte intellegendam multum valet Plut. cυμπ. προβλ. V 7 (cap. IV 3 V 10).

IX. Plinius Aristotelis de historia animalium sententias Trogo Pompeio aliisque scriptoribus latinis debet, Aristophanis Byzantii epitomen inter Graecos clarissimam ignoravit.

X. Gemma musei Brunsvicensis (nunc no. 180), in qua est Hector ab Andromache discedens, optima est primi exempli imitatio quae servata est.

Vita.

Natus sum Ericus Lippelt anno h. s. LXV mens. Iun. die III Guelferbytani patre Guilelmo, quem ante hos quattuor annos mihi morte ereptum pia colo memoria, matre e gente Thies, qua superstite adhuc gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Puer cum parentibus Brunsvigam migravi, ubi gymnasium Gravenhorsti et Eberhardi auspiciis florens frequentavi. Maturitatis testimonio instructus autumno anni LXXXIII stipendia merui, insequenti anno studiis philologicis et historicis operam daturus universitatem Lipsiensem adii. Vere anni LXXXV Bonnam me contuli.

Docuerunt me viri clarissimi Biedermann Curtius Eckstein Lange Lipsius Lipsienses Buecheler Dove R. Kekulé Luebbert Nissen Schwartz Usener Wilmanns Bonnenses. In seminarium historicorum Nisseni, philologorum Buecheleri Luebberti Useneri benevolentia receptus illius per quinquies, huius per ter sex menses fui sodalis ordinarius. Exercitationibus philologicis ut interessem Schwartz, archaeologicis Kekulé, epigraphicis Buecheler benigne admiserunt. Quibus viris omnibus gratias habeo maximas. In primis vero Buechelero Nisseno Usenero quid debeam numquam obliviscar.


COLUMBIA UNIVERSITY
0032018576

